# VON FURSTENBERG (FERDINAND) CARMINUM LIBRI DUO (3735 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition parue en 1671, à Amsterdam, chez Daniel Elzevir.

## LIBER I

(2604 vers)

### DAPHNIS,

SIVE FREDERICUS FURSTENBERGIUS, PARENS BILSTENII ET WALDENBURGI DYNASTA ; ADVOCATUS HEREDITARIUS IN GRAFFSCHAFT ; SCHNELLENBERGAE, WATTERLAPPIAE, FURSTENBERGAE, ET HERDRINGAE TOPARCHE ; SATRAPA FREDEBURGENSIS ; WESTPHALIAE ET ANGARIAE ARCHISATRAPA, ET SERENISSIMO FERDINANDO ELECTORI COLONIENSI AB INTIMIS CONSILIIS, ANNO MDCXLVI V. IDUS AUGUSTI BONNAE DEFUNCTUS.

C1_1

Amisii virides umbrat qua plurima ripas
fronde salix glauca, Lycidas hinc, Tityrus illinc,
alter oves, alter pascebat forte capellas.
Tityrus, ut semper, pellebat taedia cantu.
Carmina dum Veledae memorat, dum proelia Vari :
Varus ut his olim nomen memorabile terris
fecerit, ut sparsi legionum sanguine campi
aurem illi vellit Lycidas, neque talia tempus
carmina poscit, ait : "Daphnis tibi, Tityre, Daphnis
lugendus, Daphnin, si nescis, fata tulere."
Tityrus ingemuit casu perculsus acerbo,
fistula lapsa manu est, fugit sensusque colorque.
Ut mens, ut rediit puero vox : "Occidis, inquit,
carum, Daphni, caput ; spes, Daphni, decusque tuorum !
Ab dulci patria procul, amplexuque tuorum
occidis ! Hoc fuerat, quod summae culmine villae
tristia signa daret ferali carmine bubo ;
flebilibus quod sponte modis mea nuper harundo
(hanc mihi tu, dederat Corydon tibi, Daphni,) sonaret,
nunc sileat, ramoque infelix pendeat illo.
Vos etiam sine me (quamvis mihi vos quoque Daphnis

tradidit, atque abiens, "Has, inquit, Tityre, pasce)
ite tamen sine me, quoquo lubet, ite capellae.
Amnis, et umbrosae salices, et rura valete :
usque ego per silvas errans desertaque solus
triste querar. Gemit erepta sibi matre juvencus,
nec minus amisso mater dolet orba juvenco :
mella queruntur apes cellis subducta, peremptos
feta canis catulos, demptos avis arbore pullos ;
Daphnin ego, tristi sublatum funere Daphnin.
Supremas saltem voces morientis ab ore
excipere, affari extremum, et spectare jacentem,
atque oculos nostra licuisset condere dextra !
Vulneribus nonnulla meis solacia saltem
haec ferret pietas : solus de Daphnide luctus
nunc superest. Pecudes illo quis pascat adempto,
avertatque luem, curamque impendat et artem ?
Daphnide non melior quisquam depellere venis
implicitam pestem, et membris agere atra venena.
Daphnis et insidias stabulis praedasque cavebat.
A gelidas quoties hiemes perpessus et imbres,
pervigil exegit brumali sidere noctem,
Incustoditum fera ne vastaret ovile,
ne lac subtraherent pecori, ne vellera fures !
A quoties humeris per devia sustulit ipse
rupe parens nuda quos nixa reliquerat haedos !
Angarides Nymphae testes, quas saepe laborum
miratas dixisse ferunt : mortalia non sunt
quae tolerat : saxo certe riget ille vel aere,
quem neque ventorum rabies, pluviaeque, nivesque,
non caelum inclemens, non ulla injuria frangit.
Nymphae, non saxo Daphnis neque constitit aere.
Occidit heu ! et nos pariter, terrasque reliquit.
Nequidquam roseum spargis jubar, auree Titan :
gratius exstinctum nobis in Daphnide lumen.
Daphnidis adventu tellus ridebat et aether,
frondebant silvae, spirabant floribus arva,
Ipsi laetitia montes plausuque fremebant :
Daphnidis interitu tellus lugebit et aether,
squalebunt silvae, stabunt sine floribus arva,
intonsi montes gemitus ad sidera tollent.
Ergo nil proavum series, regnataque late
rura juvant, centumque greges, armentaque centum,
nil labor, et studium pulchrae virtutis, et artes ?
Ergo cinis, formaque carens et triste cadaver
hunc jacet ille omnes nuper pulcherrimus inter
pastores ! Nec siderea fulgentia luce
lumina, nec vultum, quem finxerat ipsa venustas,
cernere erit posthac ? At non, quae sustulit illum
mors, etiam famam tollet. Sint tempora Musis
non inimica meis, volitabis Daphni per ora.
Ipse ego virtutesque tuas, tuaque incluta facta,
invictamque fidem, et sanctae pietatis amorem
ferre Syracosio temptabo ad sidera versu.
In partem veniet Phoebo dilectus Amyntas,
et mecum teneris passim tua nomina fagis
inscribet : crescent illae, tua nomina crescent.
Quin etiam niveo tumulum de marmore Damon
exstruet, et tali signabit carmine marmor :

"Hic situs est Daphnis. Quod erat mortale, sepulchro
intulit atra dies : vivet per saecula nomen."
Ad tumulum venient, instaurabuntque quotannis
pastores tibi cum donis funebria justa.
Vina dabunt alii, purum lac adferet Aegon,
et, tibi, suspirans, puro mage candida lacte
pectora, dicet, erant, et fraudis nescia, Daphni.
Ipse apium, ipse hederas, et nostris lilia spargam
humida de lacrimis, teque ad tua sacra vocabo.
Talia jactantem supremo lumine vesper
occupat, et primo conspexit Lucifer ortu.

AD ALEXANDRUM VII.PONT. OPT. MAX.
ANNO MDCLV. VII. ID APRILIS RENUNTIATUM.

C1_2

Hunc cecinisse diem, venturi praescius aevi
   dicitur Aonias inter Apollo deas.
Hunc fore, neglectas quo gloria tolleret artes,
   et faceret doctis vatibus ingenium.
Verba fides sequitur : rerum molitur habenas
   orbis Alexander natus ad imperium.
Ac velut exactae post tristia frigora brumae,
   cum ver jucundum floridus annus agit,
ridet humus, ridet Zephyris spirantibus aether
   purus, et argutae dulce queruntur aves :
exsultare novo sic Principe vidimus Urbem,
   et quot regna vagus circuit Oceanus.
Vidimus excitas Parnassi monte sorores
   aurea desuetae tendere fila lyrae.
Vidimus Ausonios, genus immortale, poetas
   praecingi sacra, quam meruere, coma.
Laetitiam et Pacem (miseris vix cognita terris
   numina, quas luctus semper et horror habet)
ter Vaticani circum delubra volantes
   audiimus reditus signa dedisse sui.
Audiimus : laetas voces plaususque canentum
   vocibus et plausu Roma secuta suo est.
O mihi si populi sensus aequare canendo
   fas foret, et causa digna dieque loqui !
O mihi si Phoebus vacuis dictaret in hortis
   grandia Romani carmina Callimachi !
Non ego, Magne Pater, celebrarem facta tuorum,
   non fultam titulis divitiisque domum ;
non maris Etrusci portus et litora, quondam
   Hercule, nunc proavis, incluta regna tuis ;
non belli claros studiis heroas, et altis
   adscriptos Superum sedibus indigetes ;
nec quae porticibus miramur nixa superbis
   atria, pressa Ducum Pontificumque pede ;
nec quas majorum pietas caelestibus aras
   struxit Apelleis conspicuas tabulis :
sed te, qui titulos tantum praecedis avitos,
   quantum nocturnas Cynthia plena faces ;
et tua non humili memorarem nomina cantu
   extremas ultra solis itura vias,
qua levat Eoo rutilantem gurgite currum,

et qua poscentes otia solvit equos.
At non intacti mores, et quas rudis aetas
virtutes teneris duxit ab uberibus,
et data Pieriis juvenilia tempora sacris,
carminis, ut quondam, res foret una mei.
Major equis pulsanda patet nunc area nostris,
qua Padus objectis aestuat aggeribus,
qua centum populos centum Ferraria sospes
debet consiliis oppida salva tuis :
seu circum fremerent irati Caesaris arma,
nec non adversos Mantua passa deos,
seu propiora movens Venetus discrimina miles
verteret Hadriacas ad nova bella rates :
seu late grassata lues, et turpis egestas
inferrent miseris urbibus excidium :
seu pater Eridanus campis undaret apertis,
Deucalioneae damna minatus aquae.
Ille idem assiduis Cycni plangoribus, idem
certavit maestis Heliadum lacrimis,
cum patriae fines et rectas legibus urbes
linquentem ripis vidit abire suis,
et Libycos temptare sinus, ubi classibus audax
insula Threicias depopulatur opes,
Europaeque suae custos delecta juventus
tutatur medii credita claustra maris.
Non secus Italiae Cimbro natura minanti
Alpinas visa est opposuisse nives.
Non secus occiduis inhiantem finibus Afrum
Herculis objectis meta coercet aquis.
O quoties Melitae fortes hortatus alumnos
jussisti propera vellere signa manu !
O quoties Solymen, Asiaeque reposcere regna,
sceptraque Bistoniae frangere barbariae !
Testis Neptunus, Tethys mihi testis, et omnis
Tritonum suboles, Nereidumque chorus.
Illis cura fuit partos cantare triumphos,
et tua cognatis facta referre deis.
Me decet Arctoo spumantem sanguine Rhenum
dicere, nec patriae bella silere meae.
Infelix tellus, Romana clade tumentis
Arminii quondam signa secuta ducis !
Ei mihi, nunc ducibus nihilo melioribus usa
scinderis in partes, et nova sacra colis.
At magno commissa luis. Quae flumina belli
nescia ? Quaeve tuo terra cruore caret ?
Forsitan et Divos nondum sibi sentiet aequos,
et mala cum tulerit plurima, plura feret.
I celer, instantem capiti defende ruinam ;
i celer, et longae vince pericla viae.
Non te Sicanii tardent fera murmura ponti,
non formidatae navibus insidiae ;
non rigor Alpinus, non frigore saxa perenni
horrida, non duro flumina vincta gelu.
Hic Ubios, domina deductos Urbe colonos,
et flavos vises impiger Usipios.
Tum dextram tendes populis, quos Luppia nostris
caedibus infecta decolor ambit aqua,
et quos bellipotens olim dicione premebat

accola vicini Bructerus Amisii ;
nunc ubi conventu mundi coiere vocato
discordes studiis consiliisque Patres.
Discordes, i, junge animos : Europa, Deusque
imponunt humeris publica vota tuis.
Auspiciis pax freta bonis frondentis olivae
praetendit capiti mitia serta tuo.
Visa quieturis demum promittere terris
aurea compositis saecula dissidiis.
Hic etiam Veledam, qua nec Cumaea sacerdos,
nec divina fuit clarior Herophile,
te veniente, ferunt iterum de turre locutam
fatidico tales ore dedisse sonos :
"Laetus ades, rerum spes et tutela mearum,
sospite quo nobis vita salusque redit.
Laetus ades, coetus nec dedigneris amicos,
et mea securo visere regna pede.
Non iterum clades animo versamus, et iras,
armaque Quintilios vincere docta tuos.
Qualis ad Assyrias immani funere Carras
Romanus Partho fusus ab hoste jacet.
Nulla salus bello, pacem deposcimus omnes :
Pax veniat populis saepe vocata meis.
Sed, nisi me Phoebi ludunt oracula, quondam
quae cecinit nostro conscius ore Deus,
Pax erit : at sacris tam detestanda Latinis,
quam male mercata pax coitura fide.
Non ideo curasque tuas vigilesque labores
excipient meritis fata sinistra tuis.
Purpura virtutis pretium tibi cedet, et inde
quo nihil haec majus, quod tibi donet, habet.
Scilicet et terris, caeloque, Ereboque verendum
te solio accipiet maxima Roma suo.
Tum pia laturus sacratis oscula plantis
orbis adoratos procidet ante pedes.
Tum Septem imperio quae nunc Christina triones
frenat, et Arctoas ducit in arma manus,
adveniet supplex, et Vaticana tenentem
regna colet prono devenerata genu.
Tum consanguinei longo post tempore Reges
arbitrio ponent impia bella tuo.
Et pacti stabilem jurato foedere pacem
damnabunt pugnas, et grave Martis opus.
Arvaque laeta Ceres, et pleno Copia cornu
dona ferens, niveis oppida viset equis.
Mox ubi jam fessas recrearint debita gentes
otia, signa dabunt ad sacra bella tubae.
Bella recrudescent Naupacti, et barbara Thracum
Gaza per Ionias sparsa natabit aquas.
Quas ego nunc acies video ! Quos aequora remos
verrere ! Quam laetis vela tumere Notis !
Quantus adest sudor populis ! Quot in arma volentes
creta viros tota concitat Italia !
Ut Solyme poscit reduces in proelia Gallos !
Ut tremit Austriacas pallidus Ister opes !
An te etiam auspiciis tollentem signa secundis,
Magne Pater, toto cernimus ire mari ?
Impiaque Odrysiae contundere cornua Lunae,

victoremque sequi, qua praeit arma, Deum ?
Sit satis armatas in proelia mittere classes :
bella gerant alii : tu prece bella juva.
Consiliis opibusque juva, Zephyrosque faventes
sollicita, et faciles ad pia coepta Deos.
Sic per te victo Reges Oriente superbi
Threiciis statuent parta tropaea jugis.
Et Vaticanis Victoria figet ad aras
dereptas Scythicis postibus exuvias.
Tunc aliquis vates, procerum de stirpe meorum,
cantabit famae tot monumenta tuae.
Bellaque signabit titulis : "Haec Thrace subacto
victor Alexander rettulit arma Deo."
Sic cecinit : partem, vates ne vana putetur,
lapsa dedit, partem serior hora dabit.

## AD IMP. CAES. FERDINANDUM III. AUG. CUM EJUS AUSPICIIS, ET MUNIFICENTIA ATHANASIUS KIRCHERUS OEDIPUM HIEROGLYPHICUM EDERET.

C1_3

Non genus Austriadum demissum a sanguine Divum,
non clausum mundi finibus imperium,
non victos dicam populos, urbesque receptas,
nec Boreae fractas saepe furentis opes.
Haec memorent, quorum sublimi Musa cothurno
surgit, et herois concinit arma modis.
Me mea Musa vetat tantarum pondera rerum
tangere : me, quae sint viribus aequa, juvant.
Me studia et placidae sibi poscunt Caesaris artes :
materies numeris convenit ista meis.
Vates ille pios, et vatum dona piorum
excipit, et vatum carmine digna gerit.
Qua sceptrum gestat, qua jus et regna tuetur,
hac etiam Musas protegit ille manu.
Nec minor Augusto, cujus successit habenis,
fundat Apollineis publica templa sacris.
Ardua Cecropiae quis nescit fana Minervae
condita, et Aonio tecta sacrata Deo ?
Miratur moles Viadrus, miratur et Ister,
in numerum pulsis et sibi plaudit aquis.
At quae Caesareo fulgentia limina sumptu
Praga videt, certant, Delphice Phoebe, tuis.
Qualis et armatas, post impia bella Gigantum,
exuit infesto Juppiter igne manus :
qualis et, Herculeis cum jam cervicibus axem
credidit, excusso pondere cessat Atlas :
terrarum dominas sic fessus Caesar habenas
laxat, et imperii grande reponit onus.
Tum vires, Natura, tuas, ac semina rerum
scrutatur docto sedulus ingenio.
Quis tremor attonitas vertat cum civibus urbes :
impellat refluas quis maris aestus aquas :
quae vis divitias ima tellure repostas,
donaque gemmiferi procreet Oceani :
quam procul Arctoo concretus frigore Pontus
deprensis Nili distet originibus :
quam procul Hesperiis divisum Gadibus Indum
hauriat Eoi, quae rubet, unda freti :

unde ea vis ventis, unde ardens Aetna favillas
semper, et exesi viscera montis alat,
unde Amphitrites salsus liquor, unde teporem
ducat Baianae vena salubris aquae.
Has ubi naturae partes accessit, in altum
fertur ad aetheriae lucida signa domus.
Hic illi geminam virgo Marathonia Libram,
et sua vicinus subjicit astra Leo.
Armatusque auro gladium praetendit Orion
debita Caesareae praemia militiae.
Hic Solis vestigat iter, causasque latentes,
pallida cur fuscis Luna laboret equis,
cur sitiant Afri, cur Septem regna trionum
urat Hyperboreo frigore jugis hiems,
cur fugiant umbrae, Cancro torrente, Syenen,
cur variet major meta minorve diem.
Sed quota doctrinae pars est laudumque tuarum,
Austriade, magni sidera nosse poli ?
Et circumfuso porrectas aequore terras,
qua Sol Eoos lustrat et Hesperios ?
Se tibi Niliacis etiam sapientia chartis
eruta, et arcanas explicat historias.
Nec te sacra latent adytis seclusa verendis,
nec lapides, sculptae marmoribusque ferae.
Scilicet Aegyptus doctrinam credere saxis
orsa, peregrinas finxerat effigies,
Ut solis arcana Deum mens cognita mystis
falleret abstrusis vulgus imaginibus,
seraque posteritas sensim labentibus annis
non caperet prisci moris et artis opus.
O vanas hominum curas ! o caeca futuri
pectora ! Mars ultor nil sinit esse diu.
Barbarus Armenii laceravit potor Araxis
omnia, Niliacos depopulatus agros.
Tot moles, regum tumulos, tot stantia vertit
culmina, regali suspicienda situ.
Et potuit fugiens, armis cessantibus, aetas
servatas etiam vertere reliquias.
At non aeternos olim subducet honores
longa dies meritis, inclyta Roma, tuis.
Tu Pelusiacum spirantia rudera fastum
colligis, et medio tollis ad astra foro.
Nec tua venturis, Caesar, delebitur annis
fama, nec ingenium nox premet atra tuum.
Te duce, quis credat ? Post tot jam saecula scimus
arcani quidquid Memphis et Isis habet.
Quid velit Inachiae facies ignota Juvencae,
quid Canis, et sacri mystica forma Bovis,
et quae praeterea famosus monstra Canopus
prodidit, antiquis conspicienda notis.
Teque adeo titulosque tuos leget accola Nili,
et referet laudes ad sua sistra tuas.
Jam Solyme, jam discet Arabs, jam clara loquentur
marmora Caesarea munera sparsa manu.
Fallor ? An Austriacis addent quoque fata tropaeis
sacra Paraetoniis signa revulsa tholis ?
An, Fernande, tuum jam nunc Victoria nomen
laeta parat saxis scribere Pyramidum ?

Gloria Pellaeis certe vocat aemula palmis
Europae resides ad pia bella manus.

AD FRANCISCUM VAN DER VECKEN,
E SOCIETATE JESU, SS. THEOLOGIAE DOCTOREM,
ET PROFESSOREM COLONIAE UBIORUM, ANNO MDCLIV.
DE MUSIS SUIS, ET ADMIRANDIS URBIS OPERIBUS,
AC LAUDIBUS FABII CHISIIS. R. E. CARDINALIS.

C1_4

Dum, Francisce, tuo Rhenus sermone tenetur,
in mediisque tibi plaudere gestit aquis ;
teque canit, curasque tuas, et numine plenum
pectus, et ingenii pulchra reperta tui,
dulcis amicitiae cultu fructuque carentem
me procul a Rheno flumine Tybris habet.
Me tenet Iliacis felicius orta favillis
Roma, Phrygum profugis hospita terra Deis.
O quam te memorem terrarum maxima Princeps !
Non majestatem vox capit ulla tuam.
Regibus est certo finitum limite regnum :
sub regno latus est solis utrumque tuo.
Et terris dare jura parum est : nunc claudere caelum
fas tibi, nunc dempta fas aperire sera.
Se tibi delegit propriam Sapientia sedem :
quod Stoa, quod Memphis non docuere, doces.
Quae quondam gemino residebant vertice Musae,
tu septemgeminis das habitare jugis.
O terrae decus, o nostris domus hospita Musis !
Utiliter dextro sis mihi tacta pede.
Quam mihi dulce tua meditatum carmen in umbra
dicere, et hic Phoebo mens mihi mota calet ?
Hic, qui me vatem faciat, lenissimus afflat
spiritus : hae valles, haec juga numen habent.
Forsitan hic segetes, cantataque bella Maroni :
triverat hic calamos Tityrus ante suos.
Forsitan his lusit Naso leve carmen in hortis :
materies illic Cynthia vatis erat.
Hic sevit vites, hic legit poma Tibullus,
et lucente foco, quod satis esset, erat.
Hic multo Flaccus sale defricuisse Quirites
creditur, aut lyricis detinuisse modis.
Hic soccos, illic grandes induta cothurnos
prodiit, et plausum culta Thalia tulit.
Illustres salvete animae, salvete parentes
eloquii, Suadae Pieridumque decus.
Vos ego, vos, fama noti super aethera vates,
si quid id est, merito semper honore colam.
Vos sequor, et, quoniam spes unica laudis in illo est,
vestrorum relego conscia signa pedum.
Vos celebres mecum coetus venerantur, amantque,
ductus ab Aoniis quos rigat humor aquis.
Hos inter (neque enim his primum novus advena jungor
coetibus) ut libuit, voce lyrave cano.
Inde ubi Calliope lasso dedit otia plectro,
et sacer aestivo languet ab igne calor,
me juvat antiquas Urbis spectare ruinas,
qua septemgeminis eminet alta jugis.

Hic ego versarum stupefactus imagine rerum
   relliquias Magnae Matris et ossa lego.
Hei mihi ! Quae fuerat populis aeterna Latinis
   credita, nunc molis pondere victa jacet.
Qui sumptus operum, quanti periere labores ?
   Pestis in exitium non satis una fuit.
Longa dies, et Mars gentis pater, insuper ipse
   Mulciber has olim fregit et ussit opes.
Defensam vigili prospectans ansere rupem :
   majestas, dixi, pristina rupis ubi es ?
Pulsabat caelum moles : Hyperionis ignem
   aequabant radiis aurea tecta suis.
Juppiter hic stabat multo spectabilis auro,
   et trifida ex auro lamina fulmen erat.
Quae nunc hostiles paverunt omnia flammas :
   vix reliqua est magni parva favilla rogi.
Me quoque Caesarei tangit fortuna theatri,
   dignaque non ullo forma perire die.
Heu confusa loci facies ! Lacera omnia, nusquam
   forma prior : culmen caespes et herba tegit.
At cum stabat opus, quid erat speciosius illo ?
   Scaena voluptatis, nec minus artis erat.
Milia quot numquam campis eduxit apertis,
   his pariter vidit Roma sedere locis.
Quid, quod odoratis redolebant pulpita nimbis,
   et soles contra lutea byssus erat.
Nec semper similem referebat arena paratum :
   nunc silvae species, nunc erat illa maris.
Nec semper lex et ratio certaminis una,
   diversum pro re munus arena dabat.
Spectabat populus (populum Mars ille juvabat)
   saepe homines pugna, saepe coire feras.
Fama loci superest, et qualiacumque videmus
   disjectae molis fragmina nomen habent.
Et querimur, si nos morti debemur et umbris,
   cum rapiant ipsos haec quoque fata deos ?
At labor Agrippae, templum commune deorum,
   splendoris retinet signa vetusta sui.
Corpus adhuc, quamvis spoliatum cultibus, exstat :
   nuda satis per se forma decoris habet.
Materiam superat quidquid manus addidit illi :
   credibile est omnes hic habitasse deos.
Instar habet caeli : caelum quoque Maxima Mater
   nunc facit : hic aris praesidet ipsa suis.
Cetera quid memorem veterum monumenta laborum,
   queis aetas pretium fecit, et artis amor ?
Seu, Trajane, tuam, sive, Antonine, columnam,
   parta solo vobis praemia, parta mari :
aut quas Pyramidas misit trans aequora Memphis,
   aut aevo tritas, Appia saxa, vias ;
aut quos Roma suis posuit victoribus arcus,
   sive Tito, meritis sive Severe tuis.
Flaviades medio conspexerat aere signum,
   signum, quod bello vinceret, omen erat.
Vicit, et undantem vidit pons Milvius amnem
   stragibus obstructo tardius ire vado.
Arcu etiam posito celebravit Roma triumphum,
   sed quid non vitiat, comminuitve dies ?

Qui fulsit spoliis, spolium quoque temporis idem est,
et leve quid, de quo fama loquatur, habet.
Haec audita tibi pridem, Francisce ; sed aures,
ut puto, nunc subeunt gratius illa tuas.
Olim oculos subitura tuos, quando Arbiter orbis
praesentem rebus te volet esse suis.
Tunc ego te viso, flamma propiore calescens,
invadam vultum saepe, premamque tuum.
Apprensumque manu stringam, totamque per urbem
laetabor nota ducere posse via.
Me juvat interea, dum nos sperata morantur
gaudia, carminibus visa referre meis.
Scilicet invitant aevi monumenta recentis,
aspectuque rapit me nova Roma suo.
Quae, Divi ! Medias ingressa palatia nubes
stant Vaticano suspicienda jugo !
Quae, Jovis Elei nil concedentia fano
templa ! tholus caelum, qua decet arte, refert.
Quae sola ! Qui fornix ! Quae firmant tecta columnae !
Quam variae ! Nil par, qua patet orbis, habet.
Dein ubi me molli sensim juga Caelia clivo
accipiunt, Tuscis trita, Vibene, tuis :
ut me Pontificum sedes augusta priorum,
ut Laterana tenet, Flaviadaeque domus !
Divinus templo decor est : laquearia fulgent
aurea, marmoribus strata superbit humus.
Reliquias Solymum monstrant ex aere columnae,
cum fuit urbs vitio digna perire suo.
Hic, ubi Caesarei superant monumenta lavacri,
quo spirant violae, spirat odore lapis ?
Hic, ubi quinta sacrum designat Olympias annum,
sancta ter impulso cardine porta patet.
Porta patet caeli pariter : jus namque per orbem
servat idem Divum Romulidumque domus.
Frontem alibi ferro Caesar redimitus et aere
prodeat : hic auro fulva corona datur
si lubet Esquilios spatiando visere colles,
hic memor aestivae me tenet ara nivis.
Felix, quae posito descripta est area templo !
Conveniens Divae moribus illa fuit.
Nil nive candidius : nec, cui pulcherrima surgunt
limina, non pura purior ipsa nive est.
Hic me suppliciter pacem veniamque precantem
audiat : haec votis aequa sit ara meis.
Hic (ita sim felix !) videat me Roma ferentem
prima sacerdotem dona, Deumque Deo.
Inde Quirinalem cum me via duxit ad arcem,
ante aditum quos hic Roma locavit equos !
Armenii donum regis, dignumque Nerone,
Phidiaca sculptum Praxitelisque manu.
Ignescunt, quamvis rigido de marmore nares :
hinnitum clare tollere paene putes.
Et, nisi sentirent Macetae domitoris habenas,
paene putes cursu vincere velle Notos.
Admorsis spumam credas albere lupatis,
plausaque diffusas spargere colla jubas.
Tales, quos olim medios ruiturus in hostes
ad bijuges currus Mars sibi junxit, erant.

Tales, quos Zephyro genitos Harpyia Podarge
non leve Pelidae munus habere dedit.
Hic mihi scribendi veniat si carminis ardor,
nil morer alipedem Bellerophontis equum.
Monte Caballino faciet me Roma Poetam,
quosque bibam fontes ungula pulsa dabit.
Non hic Phaeacum silvas umbrasque requiro,
non nemora, aut hortos, Thessalis ora, tuos.
Hic Tempe mihi sunt, et quos fert India flores,
quosque sibi segetes Medus Arabsque legunt.
Cum soles ardent, terraeque ardore dehiscunt,
hic mihi dat frigus silva nemusque facit.
Si formam geniumque loci, si dicere pergam
singula, dicendi quae mihi finis erit ?
Tollitur aethereas frondens obeliscus in auras :
ramorum simulat tonsilis umbra feras.
Armiger ipse Jovis terras depressus in imas
emicat, et viridi fulmine terret aves.
Aesoniden mediis Argo (quis credat ?) in hortis
auratoque gravem vellere vectat ovem.
Prora viret, puppisque, virent pendentia malo
vela, virent remi transtra forique virent.
Qui fuit Hesperidum vigil ad pomaria custos,
has etiam custos excubat ante fores.
At nullum, quidquid lingua vibrante minetur,
sauciat : innocuo corpore verrit humum.
Terga notant maculae, sed enim maculosus adumbrat
terga frutex : cristam muscus et herba facit.
Quid tibi nunc amnes referam, fontesque, lacusque,
Naiadum gelidas, humida regna, domos ?
Ingenium sacris irritent vina Poetis ;
Ingenium nobis hic quoque lympha facit.
Ut puro calices hilarent convivia Baccho,
optima res purae vena perennis aquae.
Quid tibi sit Tepula, quid Agrippae gratius unda,
aut quae Paelignos Martia findit agros ?
At neque jam Tepula, nec Agrippae ducimur unda,
nec quae Paelignos Martia findit agros.
Nunc alias iniere vias, populoque Quiritum
Pontificum solae paene bibuntur aquae.
Tu me (tanta tuae laus est virtusque scatebrae)
vel visu recreas, candida Virgo, tuo.
Tu dulcis frigensque sitim solaris et aestum,
et melius medicis haustibus ora levas.
Tantum, Virgo, tuae (namque id candore mereris)
virginibus pateant, et sitiantur aquae.
Et me felicem (neque enim tibi nomen inane est)
quae merito Felix diceris unda, facis.
Ubertas tecum fecundaque divite cornu
copia, qua placido volveris amne, venit.
Quin etiam talos a vertice sanus ad imos,
qui tua delibat munera, saepe redit.
Tu quoque Romuleam Burghesia lympha per urbem
labere, qua ducto fornice facta via est.
Labere, qua praestans varia testudine et arcu
excipiet latices porticus alta tuos.
Ecce sua tibi se submittit Janus ab arce,
et Numa te tumulum gaudet obire suum.

Ut Vaticanas intraveris advena sedes,
hic domus hospitiis apta futura tuis.
Candidus, et Pario structus de marmore crater
te manet, unde tuas ejaculeris aquas.
Jam si Pamphiliae memorem molimina gentis,
quas huc, quas misit Nilus et Isis opes !
Ardua stat moles, et saxo fulta cavato
pyramis audaci surgit in astra via,
arcanis inscripta notis, quas discere praesens
gavisa est aetas, discere sera volet.
Hic, Bernine, tui caeli labor inclutus, ima
parte sedent, tantum suscipiuntque decus,
et Tiberi Ganges, nec non Argenteus amnis,
et famulas subdunt Nilus et Ister aquas.
Candida rorantem commendant marmora vultum,
candida submissum sustinet urna latus.
Aelia Romanae quid propugnacula pacis
exsequar, et gyro moenia tuta suo ?
Vallorumque minas, tormentaque fusa metallo,
impulsu nil non frangere nata suo ?
Hic fragor audiri, qualis cum Juppiter atras
increpitat nubes, et sua tela jacit.
Hic Mavors, quamvis non omnis tempore cuiquam
letifer, excusso plurimus igne furit.
Praecipue cum lux illi sacrata recurrit,
cui debet solium maxima Roma suum,
cui pater omnipotens uni dedit atria Divum
pandere, et apposita claudere posse sera.
Venerat ille dies, et jam venientibus umbris
cesserat, ac dubiae tempora lucis erant.
Tum vero caelum jactis ignescere telis,
et scintillantes vidimus ire globos,
et pluvio late conspergi tecta Quiritum
sulfure, et horrificos aera ciere sonos.
Mox tenebras nigro propiores crescere fumo,
et fumum volucres dissecuisse faces.
Quin etiam innocuo percussum fulmine Tibrim
audiimus mediis exsiliisse vadis.
Ille diu strepitu flammisque exterritus haesit,
expertae memorans tempora saevitiae,
ut Nero flammata Vulcanum sparserit urbe,
et nova Troja novo luxerit usta rogo :
ut conjuratos sociis amentibus ignes
praetulerit patriae fax Catilina suae :
ut fuerit Geticis urbs, quanta est, mersa favillis,
hauserit et Latias Vandalus acer opes.
Hanc tibi laetitiae scenam, Romane, quotannis
exhibet illa tuo lux operata Patri.
Talia lustrantem plus me tamen afficit ingens
Chisius, Etruscae gentis et orbis amor.
Cui Vaticani delata est purpura regni,
utque reor, trinus tempora cinget apex :
ut novus Alcides fesso succedat Atlanti,
et molem immensi fulciat imperii.
Ille mihi facilem cantanti commodat aurem,
plenaque felici fert mea vela Noto.
Et facit ingenium nobis, et jungit amicos,
et tribuit gratam saepe benignus opem.

Hic, Albi, Messala tibi, si prisca tulissent
saecula, Maecenas hic tibi, Flacce, foret.
Neutro laude minor, nostro nisi carmine, laudes
qui canimus parvis et benefacta modis.
Non tamen exiles ideo vetat ille Camenas
praesidio tutas delituisse suo ;
quin amat, et vultu non dedignatur amico,
has aliquid nugas dum putat esse meas.
Et molles aditus toties concedit et horas,
rara illi quamvis otia Roma facit.
Quid loquor ? Ipse suas, juvenilia carmina, Musas
a me non blando sustinet ore legi.
Triste supercilium, frontemque, animumque severum
exigit, usque adeo non placet ipse sibi.
Quod Phoebus, quod Roma probat, quod sera probabunt
saecula, quis credat ? Non probat auctor opus.
O bene, quod tandem caecis erepta latebris
crediderit curae pignora cara meae.
Cumque sui pridem fetus abolerit amorem,
me sinat huic vitam, quam fugit ipse, dare.
Per me discetur, per me liber ibit in ora,
per me deliciae posteritatis erit.
Quid memores fastos, lentaeque volumina pacis,
et de Parrhasia persequar arte librum ?
Nec non Caesareis certantia vultibus aera,
et procerum vivis aemula signa notis ?
Quid titulos, et opes, et priscae nomina gentis,
et decora, et magnae splendida facta domus ?
Quae facilis nostris obtutibus ille recludit
omnia, vix aliis pervia luminibus.
Di mihi, Di tantum servent Heroa clienti,
dulce decus Musae praesidiumque meae.
Chisia sic faveant mihi sidera, Chisia quercus
me tegat, et senis stet mea Cyrrha jugis.

AD PHILOMATHEN NEQUIQUAM MUSARUM JUVENILIUM AUCTOREM TEGI.

C1_5

Qualis, ubi Pharios exurit Sirius agros,
frugibus optata Nilus inundat aqua,
et super arentes fuso natat aequore glaebas,
et riguam laetis messibus ornat humum ;
at longe positis idem cunabula terris
et caput ignotis celat originibus,
talis Maeonio quae certant carmina vati
fundis, et, ut magno Pindarus ore, ruis ;
et Latium sermone beas, et divite vena
fecundas, Vatum Maxime, Castaliam.
At cur Perrhaebi bene cognitus incola Pindi,
cor Charitum, nostri spesque decusque chori,
cur latitas, et lene sacrae caput occulis undae,
quo veniunt Clario pocula digna Deo ?
Cur tegis ambigua juvenilis imagine Musae
ingenii cultum divitiasque tui ?
Cur dubitas proprio dignari nomine fetum ?
Cur dubitas famae pandere vela tuae ?
Nequiquam, Vir Magne, lates : te nostra loquuntur
tempora, te Vatem saecla futura canent.

Admirata tuos Siren Acheloia cantus
audiit, auditis cedere fassa suos.
Cum Phaethonteae canerent tua carmina Nymphae,
suspenso Cycnus plausit ab Eridano.
Constitit aurata captus testudine Tybris,
et jussit fluctus lentius ire suos.
Saepe tuos avidis Rhenus pater auribus hausit,
saepe Mosella tuos, et piger Alpha modos.
Nequiquam, Vir Magne, lates : te fama latentem
prodit, et Eois monstrat et Hesperiis.
Nec sinit indictum pietas, animusque periclis
altior, et pacis, quem profiteris, amor.
Sichemios colles, et collibus addita testor
templa coronato suspicienda tholo.
Vos Ubii testes, testis Mimigarda laborum,
et septem geminis Roma superba jugis.
Eripe nunc ergo tenebris caput, eripe nocti,
et larvam fictis detrahe nominibus.
Si minus occultum Scyros celavit Achillem,
agnitus Aeolidae si fuit ille dolo ;
si, qui regna tenet late Parnassia, Phoebum
ora latere vetant, et coma digna Deo ;
si licet obscura celetur nocte, pyropus
nativo rutilum provocat igne diem :
an poterit diffusa tuae lux aurea Musae,
an poterunt gentis signa latere tuae ?
Sidera scintillant, sublimi vertice quercus
eminet, et senis Mons subit astra jugis.
Sed pudor, et castae divina modestia frontis
nobilior Tyriis purpura muricibus,
vatis Apollinei titulos, nomenque recusat,
Phoebeaque vetat tempora fronde tegi.
Nec te grande sophos, nec famae cura moratur,
nec fuco roseas gloria picta genas.
Virtuti satis est caelo se teste probari,
et sese famae notitiaeque negat.
Ut neget, invitam curru sectatur eburno,
et circumfuso lumine vestit Honor.
Sic radiant puro servata corallia vitro,
sic lucent calathis lilia virgineis.
Sic adamas fundo mersus pellucet in imo,
sic micat auriferi dives harena Tagi.

EPULUM AUGUSTINI CHISII, IN PORTICU SUPRA TIBERIM PENSILI,
LEONI X.PONT. MAX. ET COMPLURIBUS CARDINALIBUS DATUM.

C1_6

Laudarunt alii convivia ditis Elisae,
et Luculleas, Alcinoique dapes,
et quas Romano cenas Cleopatra marito
instruxit Phariis perdita deliciis :
at mea sollemnes epulas, et Regibus aequas,
Augustine, tuas Musa loquatur opes.
Stat super impendens Tiberinae porticus undae
Chisia, divitiis nobilis Attalicis ;
hospite nobilior, vultu dignata Leonis,
quo posuit curas urbis, et orbis onus.

Haec quoque pupureos aurato limine Patres
accepit, totidem ceu Jovis aula deos.
Quae mensis tum dona Ceres, quae dona Lyaeus
intulit, et largo Copia laeta sinu !
Vix tulit ipsa suum genialis mensa paratum.
Et pretii quota pars ipse Lyaeus erat ?
Fulgebant auro, fulgebant pocula signis,
fulgebant rutilis aspera chrysolithis.
Pascebant oculos perfecta toreumata caelo,
aut Myos, aut dignus Mentoris arte labor.
Ipsa penus populo poterat satis una videri :
hic poterat genio quisque litare suo.
Sic, ubi prostratos celebrarunt vina Gigantes,
semideis licuit poscere vina Jovem.
Res nova : caelatas ceperunt retia lances,
et Polycletea vasa superba manu.
Miratur Tiberis projectas flumine gazas,
et quas nec Ganges, nec vehit Hermus opes.
Innocuam pisces escam mirantur in undis,
mirantur nullo retia tensa dolo.
Retia nulla suis, nec quae Nero texuit auro,
praemia captarunt divitiora plagis.
Scilicet argenti quidquid Tiberinus et auri
ceperat, haec domino restituere suo.
I nunc, et Crassum memora Romana vetustas,
in Parthos auri quem sacer egit amor.
Serviit ille opibus : laudato Chisius usu
effusae dominum se probat esse rei.

AD AUGUSTINUM FAVORITUM DE MORTE NATALIS RONDININI,
ALEXANDRO VII.PONT. OPT. MAX. AB EPISTOLIS AD PRINCIPES.

C1_7

Non ita, Lampetie, casu Phaethontis acerbo
flevit, et ambusto Cygnus in amne Padi ;
non ita Pelides, media cum vidit arena
Actoriden sparsis caede jacere comis ;
Tros Anchisiades non sic Pallante perempto,
nec Theseus cari funere Pirithoi ;
ut mihi maesta pio tabescunt lumina fletu,
imaque perpetuos pectora dant gemitus :
dum desiderio mentem perfixus inani,
Natalis mutos conqueror ad cineres.
Crudeles Divos, crudeliaque astra vocanti
nulla venit misero nocte dieve quies.
Nec magis, heu, lacrimis saturatur luctus amaris,
quam matutino rore perustus ager.
Si fugit interdum, vagus ut Maeander, in orbem
mox redit, et sese decipit ipse dolor,
notaque dilecti passim Natalis imago
occurrit madidis obvia luminibus,
dulce loqui fido, velut ante solebat, amico,
bracchiaque et caras tendere visa manus.
Sive etenim ripam Tiberini propter amoenam
cernere velivolas, quas vehit unda, rates,
et septem geminis late spectare jacentes
collibus antiquae me juvat Urbis opes,
pyramidasque novo ductas ad sidera sumptu,

et Vaticano templa superba tholo :
sive suburbanas Latii peragrare ruinas
mite jubet sancti Principis imperium,
Albanumque lacum, dilectaque rura Minervae
posthabitis Romae visere deliciis,
montis ubi quondam per viscera ductus aperti
fatalis Veiis irrigat arva liquor :
semper amarities, semper dolor haeret eunti,
et cruciat miris anxia corda modis.
Nec vetus Alba gravem potis est mihi demere curam,
umbra nec aestivis Tuscula frigoribus ;
Nec nemus Egeriae, Scythicae nec regna Dianae,
nec lacus occulti conscius Hippolyti.
Tene mala, juvenum castissime, fraude novercae
distractum rapidis membra cruenta rotis,
tene Coronides mediis e faucibus Orci
ereptum Triviae restituisse Deae,
et laetos oculos, roseumque potentibus herbis
os valuit, nitidas et reparare comas ?
At miserum, ut primae Natalis flore juventae
occidit indigno flebilis interitu,
non pietas, non sancta fides, non Pallas, et omnis
Aonidum tanto cultus amore chorus,
ipse nec aetherias revocare ad luminis auras
sustinuit medicae Cynthius auctor opis ?
I nunc, et demens animos attolle superbos,
et Zephyro plenos finge tumere sinus.
Finge miser titulos, et grandia munera rerum,
et spera Pylii tempora longa senis.
En jacet exigua juvenis compostus in urna,
promeritus coeptis omnia fausta suis.
Nam quid Alexandri meritus favor, aut quid honorum
spes, et fraterna foedera juncta fide ?
Quid praeclara domus, genitrix aut profuit illi
optima, Castalias inter habenda Deas ?
Laeta quid aspirans rebus fortuna secundis,
et plausus tota maximus Ausonia ?
Scilicet exorare nefas est fata, nec ulli
Parcarum licuit frangere duritiem.
Non tamen Heroum manes inferna coercent
flumina, nec Stygii pallida regna Jovis.
Aetherias illos virtus sublimis ad arces
evehit, et campis consecrat Elysiis.
Hic, hic Natali domus est, hinc arduus imas
sub pedibus terras despicit et maria ;
miraturque novos orbes, convexaque mundi
moenia, et innumeras, splendida signa, faces.
At licet huic longos inviderit Atropos annos,
dum meritis implet Solis utramque domum ;
ne tamen ulla queat nomen delere vetustas,
provisum Clario gratulor esse Deo.
Dum terras atque omne sibi devinciet aevum,
curaque Alexander posteritatis erit ;
dum pius in Venetos animus studiumque canetur,
classis et Aegaeo Thracia victa mari ;
dum referetur amor, quo tristia bella Tyranni
ardet in excidium vertere Bistonii,
Quo res Sarmatiae, viduataque Caesare regna

curat, et impositos Alpibus Helvetios,
Natali constabit honos, vivaxque manebit
doctrinae, et Suadae nomen, et ingenii.
Semper Alexandri, sacra per vestigia, laudes
pone sequens, ibit clara per ora virum.
Tu quoque, Pieridum decus, Augustine, sororum,
quo Latium, et tumidis Macra superbit aquis,
ingenuos mores, et vitam puriter actam,
cordaque non ullis tacta cupidinibus,
virtutesque alias cari memorabis amici
carmine, quod possit nulla abolere dies.
Nam neque signa tuae spirantia marmore Lunae,
nec Polycletea nobilis arte labor,
longius extendant famam Natalis in aevum,
quam tua Maeoniae proxima Musa tubae.
At mihi, cui tantum non concessere Camenae,
ut canerem paribus grandia facta modis,
sat fuerit gelidis extrema dedisse labellis
oscula, et exsangues imbre rigasse genas.
Sat fugientem animam fato legisse supremo,
et clausisse pia lumina cara manu.
Sat tumulum lauri foliis ornare quotannis,
et cineri multa solvere justa prece.

## AD EUMDEM.
## INIQUE ARTEM POETICAM VIRIS NOBILIBUS VITIO DARI.

C1_8

O cui victurum dictat Polyhymnia carmen,
saepe fides digitis tendere visa tuas :
pone lyram, Augustine : licet te vate superbus
cessurum Calabro se neget esse Ligur.
Phoebeos arcus, tutandis arma Camenis
poscimus : haec nostri temporis arma cape.
Ecce novum tumidoque gravem Pythona veneno
horret Apollineis dedita turba sacris.
Ipsum etiam qui Pindi aditum, Phoebique recessus
occupat, inque sacrum nos vetat ire nemus.
Quid moror, et ficto dubium te carmine duco ?
Ah nimis ex vero nostra querela venit.
Livor edax Python, Python inscitia rerum :
haec vates dictis mordet, et ille suis.
Non capit ingenio, quae dente lacessit iniquo
carmina, nobilibus ceu minus apta viris.
O quoties dixi : "Quid carmen et otia vatum
arguis, et solo stirpis honore tumes ?"
O quoties : "Si fama tibi, si gloria curae est,
cur non et vatis te quoque cura subit ?"
Seu placet antiqua deductus origine sanguis,
antiqui seriem sanguinis ille canet.
Seu caperis positis fumosa per atria ceris,
ornabit ceris atria lata tuis.
Addet et his proavum titulos, et carmine dicet,
quot tulerint palmas, quasque, quibusque modis.
Addet et his vocem : picturas ille loquentes
finget, et his animos ingeniumque dabit.
Quid ? Quod habent sua cum superis commercia vates,
quique illos agitat spiritus, inde venit ?

Quid ? Quod honoratos memorant ex ordine reges
auratam digitis increpuisse lyram ?
Creditur Amramides (nihil est illustrius illo)
Isacidis carmen praecinuisse suis.
Carmen erat populus, cui Mempheos arma timenti
ipse Deus facilem straverat ante viam.
Iverat et montes inter securus aquarum,
tanta fides pelagi dissilientis erat.
Obruerat regem fluctu gravis unda refuso,
tanta fides pelagi mox coeuntis erat.
Ibat Erythraeas Mareotica gaza per undas,
et fracti currus, et juga vulsa rotis.
Qui miseros regni casus luctusque referret,
haustaque tot pelago milia, nullus erat.
Omnia quae populus, populum praeunte poeta,
audiit, et paribus rettulit inde modis.
At nunc quae subito strepuit lyra ! Me mihi totum
surripit, et superis inserit ipsa choris.
Jesside, salve regum, salve optime vatum,
sive lyram docta, seu geris arma manu.
Militiaene prius mirer, cantusne scientem ?
Par utroque tibi nomine constat honor.
Queis ego te regem componere regibus ausim ?
Nil potuit regno sanctius esse tuo.
Queis ego te vatem componere vatibus ausim ?
Nil potuit plectro dulcius esse tuo.
Luce tibi sonuere tubae : lyra nocte canebat,
victorique Deo carmine gratus eras.
Et modo strata tuis, modo fletibus ara madebat,
et modo te tarda Musa levabat humo.
Sancte velis mihi te facilem praebere canenti,
et vates vati dexter adesse tuo.
Si non me tecum fas est excedere terris,
nec mea me supra sidera Musa levat :
at placare tuo fas sit mihi Numina cantu :
hac, precor, hac liceat te mihi parte sequi.
Talia cantabant afflati numine vates,
otia post pugnas cum sibi justa dabant.
Et quisquam, sit dives opum, sit clarus avito
sanguine, tanta neget nomina pone sequi ?
Et leve nescio quid, quod tantum tempora fallat,
esse putet, doctae carmina mentis opus ?
Ille ego sim, qui, dum Pindi sedet arduus arce,
Urbani sacris oscula dem pedibus.
Ille ego sim, qui Chisiadae juvenilia dicar
otia parte aliqua posse referre meis.
Nec mihi quis, si castra vocant, neget artibus illis
esse aliquem lituos inter et arma locum.
Tunc erat, extremum Macedo cum subderet orbem,
et captis Ganges mollior iret aquis.
Tunc erat, Iliadem caperet cum lectus et ensem,
qui custos Musis, esset, Homere, tuis.
Scipiade, tibi jugis erat comes Ennius : idem
emeruit tumulo proximus esse tuo.
Caesar in adversos cum fulminis instar Iberos
tenderet, ipse suum carmine lusit iter.
Ajacem nobis invidit spongia : dextra
occidit Augusti fixus, ut ipse sua.

Saecula (cur sileam ?) vates quoque nostra tulerunt,
imperio populos qui tenuere suo.
Caesareae studuit Phoebeam nectere laurum
Primus ab Austriacis Maxmilianus avis.
Summos summa juvant : res est quoque summa Poesis,
et qui digna gerunt carmine, carmen amant.
Quo quisque ingenio pollet magis, altius ire
nititur ad geminum, qua via facta, jugum.
At rudis, invitis Musis et Apolline natus,
laudis egens, animo deficiente jacet.
Haec ego : tu nervis torque majoribus arcum,
cui Phoebus pharetram credidit ipse suam.
Surge : premat querulas rostrata ciconia ranas,
figat Apollineus sibila monstra labor,
surge : animam vocemque novo praeclude Lycambi,
supplicium Momus, quod tulit ille, ferat.

AD GALLIAM DE MORTE DIONYSII PETAVII E SOCIETATE JESU,
CUM FRANCISCUS BARBERINUS S.R.E. CARDINALIS
ILLI A POETIS PARENTARI JUBERET.

C1_9

Si vacat, et nostras civilia bella Camenas
audiri lituos inter et arma sinunt,
accipe quae vates cineri sacramus amico
carmina, non uno Gallia pressa malo.
Scilicet in longum veniunt tibi tristia morem,
teque alia ex aliis fata vicesque gravant.
Non satis in luctus fuerat, tua pignora, cives
in te discordes exacuisse manus.
Et Parcae fecere nefas, commune, sed atrox,
cui natura nihil quo medeatur habet.
Sirmondus, quo non alius Regum acta tuorum
certior, et regni jura referre, jacet.
Sumpserunt etiam, dum Regum scrinia servas,
in te lanificae jus, Puteane, Deae.
Communis, Puteane, dolor nunc vatibus, olim
grande decus Clarii praesidiumque chori.
Nec satis : exstincti mors importuna Petavi
accedit tantis nunc nova causa malis.
Ille silet, parvaque cinis compostus in urna est,
Suada jacet riguis quam super uda genis.
Qualis scissa comas, lacerataque pectus apertum
incubuit Pylio commoritura seni.
Ereptum Ligeris plorat natalis alumnum,
turbatasque suis fletibus auget aquas.
Ipsa dolet miserum regina Lutetia casum
funerea sparsas fronde revincta comas.
Jure etiam libat lacrimas Franciscus adempto
Romuleos inter gloria prima Patres.
At bene quod cineri (quid enim non ille meretur ?)
Doctorum vatum carmine justa paret.
Nam quid felices frustra dolor urgeat umbras ?
Justius in laudes ora resolvat amor.
Desine, quisquis amas, magni pia busta Petavi
nil profecturis sollicitare modis.
Quamvis indocilis leges mutare severas
Vitalem Lachesis ruperit atra colum ;

Non omnis tamen ille perit : meliore superstes
parte sui, volitat docta per ora virum.
Quid metuat Lethen oblivia nigra trahentem
fluctibus ? Ignavos torqueat ille metus.
Hic rerum memores fastos, memorandus et illis,
edidit, et Batavam contudit invidiam.
Bis senis docuit celeres cum mensibus annos
munitam certis legibus ire viam.
Aetheriasque domos animo percurrit, et astra
divisit numeris temporibusque suis.
Hunc adeo egressum nostrae contagia terrae
Uranie famula duxit ad astra manu.
Errantesque globos, mundique volubilis orbes
pandit, et in toto sidera fixa polo.
Quae super evectus, meriti nunc civis Olympi,
fertur in auctorem, non velut ante, suum.
Nunc illo fruitur propior, totumque quod ipse est,
inque ipso quidquid condidit ipse, videt.
Sive Palaestini regalia carmina vatis
concinit Argolicis reddita carminibus,
seu Divum medius, Patrum monumenta revolvit,
ingenio Divos detinet ille suo.
Non igitur tibi vana ferunt solacia Musae :
tu modo te Superum, Gallia, junge choris.

## AD JACOBUM WALLIUM DE MORTE SIDRONII HOSSCHII.

C1_10 Etsi me, Walli, patriis excedere terris,
et procul Angariae collibus ire meae,
et maris insuetas ausum dare vela per undas,
ardentesque gravi sole secare vias,
Lydius Hesperidum Tibris regnator aquarum,
et septem geminis Urbs tenet alta jugis,
Alpinaeque nives, ac nubifer Appenninus,
et pia Tyrrhenae vota morantur aquae :
Ut nequeam Tungros, et pulchrum visere Mosam,
et praesens maesto solvere justa rogo,
et terrae tumulo componere vatis amici
relliquias nostris irriguas lacrimis ;
non tamen exstinctum miseris urgere querelis,
justaque, qua fas est, reddere cessat amor.
Nunc firmata subit studiis concordia nostris,
et desideriis invida fata meis.
Nunc mandata lego, quae te mihi scribere jussit,
et moriens lingua deficiente dabat.
Quin etiam violis, et lauri frondibus urnam
halantem fictis ponimus exuviis.
His etiam flores, vitae monumenta fugacis,
addimus, albenti lilia mista rosa.
At circum Latii, doctissima turba, Poetae
Aonia feriunt carmina maesta lyra.
Quos praeit ereptum lugens Elegeia vatem,
saecula cui nullum nostra tulere parem,
postera vix sperent ; quo vindice desiit esse,
quod fuerat, Paphiae lena comesque Deae.
Illa igitur squalet, quo nos, confecta dolore,
et queritur nostris saucia vulneribus.

Ipse etiam fletu tumulum dignatur inanem
Chisius Ausoniae gloria prima togae.
Et gemitu manes ciet, et Permesside lympha
spargit flebilibus marmora scripta notis.
"Hoc meruit justi monumentum Belga doloris,
proximus ingenio, culte Tibulle, tuo."
Interea curis liber mortalibus errat
Hosschius, Elysium qua facit umbra nemus ;
qua Zephyri blandis immurmurat aura susurris,
et viret intonsis laurea silva comis ;
qua saliunt vitrei per amoena rosaria fontes,
et praebet faciles florida ripa toros.
Illic divinos inter considere vates
gestit, et Heroum proximus ire choris,
et modo cantatos suspirat Numinis ignes,
virginis et grato carmine laudat opem.
Et modo tot vitae, quibus ut mare volvimur, aestus
gaudet inoffensa se superasse via.
Et modo commendat faciles miserescere Divos,
dum Petri lacrimis miscuit ipse suas.
Denique quae vovit Leopoldo plurima, votis
exorat melius prosequiturque suis.
Illinc, si nostri tangit te cura, nec omnis
excidit oblito pectore suetus amor,
aspice perpetuis lacrimarum turgida rivis
lumina, et exsequias, docte Poeta, tuas.
Aspice ut immensum tua gloria lata per orbem
transvolet Eoas, Hesperiasque domos :
ut male neglectas, monumenta perennia, Musas
Wallius indignis vindicet a tenebris ;
Wallius, Aonidum post te non parva Sororum
cura, tibi quondam, nunc mihi primus amor.
Quam pius ille manu fugientes clausit ocellos,
et summis animam legit anhelitibus !
Quam pius aeternis mandat tua nomina chartis,
et damnat lacrimis impia fata suis !
Scilicet ereptum sic tristis Naso Tibullum
luxit, et Orpheam Calliopeia necem.

## ALEXANDRO VII. PONT. OPT. MAX. VILLAM BARBERINAM, DOMITIANI OLIM CAESARIS ALBANUM, UBI QUOTANNIS QUINQUATRIA FIEBANT MINERVAE, ANIMI CAUSA INVISENTI ANNO M.DC.LVII. IDIB. MAII.

C1_11

Hic ubi porticibus se Flavia villa superbis
aequabat summis ardua sideribus,
et nemus hinc, Scythicae non mitia regna Dianae,
illinc Tyrrhenas prospiciebat aquas,
sollemnes olim ludos, et sacra Minervae
quinque fuit junctos mos celebrare dies.
Quare amat hos colles etiam nunc Diva, lacusque,
plurima quos glauca vestit oliva coma.
Atque adeo praesens Albae cum proxima nuper
vidit Alexandrum per juga ferre pedem :
"Laetus ades, dixit, nostrosque invise recessus,
terrarum custos maxime : laetus ades.
Hic posita regni tantisper mole licebit

otia prolatis dulcia rebus agas.
Quando dira lues, et frugum tristis egestas,
auspice te, Latios pulsa reliquit agros."
Mox instaurato mens corpore firmior, altas
imperii curas, et geret orbis onus.
Interea dignam servato cive coronam
Chisiacis Dryades texite de foliis.
Alma Ceres, spicas ; date laurea serta merenti,
Aonides : parta mox mea pace feret.

### AD JOANNEM ROTGERUM TORCKIUM PRAEPOSITUM MINDENSEM, ET CANONICUM PADERBORNENSEM AC MONASTERIENSEM. DE AENEAE STATUA, LAURENTII BERNINI OPERE, IN HORTIS BURGHESIIS EXTRA PORTAM COLLINAM.

C1_12 Torcki noster amor, doctarum prima Sororum
gloria, spes patriae magna decusque tuae,
aspice Bernini docto spirantia caelo
marmora, Phidiaco par opus ingenio.
Aspice Trojugenam curva cervive ferentem
et patrem, et profugos, sacra paterna, deos.
Has pius Aeneas parvo comitatus Iulo
subtrahit incensae relliquias patriae.
Quis dolor e muto ducit suspiria saxo !
Qualis in inflexo vertice regnat amor !
Ut lapis ipse suae praesagus fata Creusae
sentit, et impositum ferre laborat onus !
Et trahit Ascanium flentem ! Comes ille paternae
non potis est aequis passibus ire fugae.
Ut miserans captae fumantia moenia Trojae
effigies tantis ingemit aegra malis !
At ne Berninus vocem daret arte querelis,
obstitit infandus, qui premit ora, dolor.

### ALEXANDRO POLLINO DONUM NATALICIUM.

C1_13 Mentoreos alii donent, Polline, labores :
natali nostro pyxida munus habe.
Forma pyrum simulat : circum violaeque colores,
albaque purpureis mista ligustra rosis.
Aspicis et variis ut aranea floribus audax
incubat, et fatuus papilionis amor.
Nec tamen inclusam potis est libare medullam,
et qui sub fulvo spirat odor calyce.
Namque ibi odorifero sudantia balsama ligno,
dulces Aurorae divitis exuvias,
et Cilicum messes, et quae Titanius ales
Cinnama, et extremus munera legit Arabs,
et nardi felicis opes, et pinguis amomi,
composuit miro Paeonis ars studio.
Sic operi contendit odor : cui praestat utrique
dantis amor meritis dona minora tuis.

DE CORVO BARTOLDI NIHUSII DISCIPULO MORTUO.

C1_14 Occidit heu Corvus Batavis celeberrimus oris,
Bartoldi longo tempore discipulus.
Nec domino veniente,"kakos korakos kakon oon",
increpitat Graio garrulus eloquio.
Vox silet, ac lepidae cessant convicia linguae,
nulla quibus sese composuisset avis.
Non Agrippinae turdus, non sturnus amores
Caesaris, humanos doctus uterque sonos ;
nec Corvus populi plausu gemituque Latini
nobilis, et ducti funeris exsequiis.
At rumpare licet Clotho, quae fila volucrum,
Maeonidae si fas credere, dura secas,
carmine vivet adhuc, qualis Melioris alumnus
psittacus, et Teii fida columba senis.
Qualis et exusto celebrata Ciconia nido
in Batavis pullos morte secuta suos.
Ut meruit, vos ergo rosa Permesside Musae
compositum molli condite fundus humo :
et notum tumulo carmen superaddite : "Si quem
non hodie, cras, cras auferet atra dies."

ALEXANDRO VII.PONT. OPT. MAX.
TERTIUM PONTIFICATUS ANNUM FELICITER AUSPICANTI.

C1_15 Laeta dies rediit, qua te Rex aetheris alti,
Sancte Pater, magnum misit in imperium :
et terris dum pulsa lues, tibi tertius annus
illuxit faustis candidus auspiciis.
Prima fames Latium, te principe, liquit, et Urbem
externis pavit frugibus alma Ceres.
Jam nunc Hadriacis classis tua juncta carinis
Hellespontiacae claustra refringet aquae,
interea sacras voti rea fundit ad aras
ingenuo tales pectore Roma preces :
"De nostris, Pater alme, tibi Deus augeat annos,
si servata tuo munere vita mea est."

IN EIUSDEM EFFIGIEM MARMOREAM,
OPUS LAURENTII BERNINI EQUITIS ET SCULPTORIS EGREGII.

C1_16 Spirat Alexandri vivus de marmore vultus,
nullus adhuc potuit quem simulare color.
Par animo siquidem facies pigmenta recusat,
et melius niveum marmor utrumque refert.

AD EUNDEM DE AEDIBUS PONTIFICIIS AD LACUM ALBANUM TACTIS FULMINE
III ID. OCTOB. M.DC.LVII.

C1_17 Ne mirare manu Cyclopea tela rubenti
in tua, Sancte Parens, tecta vibrare Jovem.
Indignatur enim Latio, te Principe, demum

aurea Saturni saecla redisse senis.

### DE BIBLIOTHECA URBINATE,
### ALEXANDRI VII.PONT. MAX. LIBERALITATE, VATICANAE DONATA.

C1_18
Regifico quondam sumptu, studioque parata
Feltriadum celebris bibliotheca Ducum,
Vaticana tuas, huc longe jussa venire
munere Alexandri Principis, auget opes.
Nobilior poterat nec muneris auctor haberi,
nec munus poni nobiliore loco.

### IN CAROLI I, MAGNAE BRITANNIAE REGIS,
### AN. M.DC.XLVIII. V. ID. FEBR. LONDINI CAPITE PLEXI, NECEM.

C1_19
Cerne lupae geminos pendentes ubere natos :
Romulus hic Romae est conditor, ille Remus.
Inde Caledoniae praebentem colla securi
indigno Carolum respice supplicio ;
et genus acre lupos terrae dic deesse Britannae :
saevior est ipsis terra Britanna lupis.

### AD FRANCISCUM BARBERINUM CARD. ET S.R.E. VICECANCELLARIUM.
### UT LUCAE HOLSTENII, HAMBURGENSIS, VATICANAE BASILICAE CANONICI,
### ET BIBLIOTHECAE CUSTODIS PRIMARII,
### IV. NON. FEBR. AN. M.DC.LXI. DEFUNCTI SCRIPTA IN LUCEM PROFERAT.

C1_20
Occidit Holstenius, Graiae Latiaeque Minervae
artibus, Eois notus et Hesperiis.
Holstenius, quo non fuerat mihi carior alter,
nec posthac umquam carior alter erit.
Heu ! Vaticanae mecum plorate Camenae
delicium vestri praesidiumque chori.
Illius imprimis studio defensa fideli
relligio madidis lugeat orba genis.
Grande decus, columenque sacri, Francisce, Senatus
solari nostras perge tuasque vices.
Ede laboratas, quas celant scrinia chartas,
queis meliore sui parte superstes agat.
Vivitur ingenio, nec in illud ferrea quidquam
inciso Lachesis stamine juris habet.
Sic bene de Musis, et relligione merendo,
laus tua, et Holstenii vita perennis erit.

### ALEXANDRO VII.P. O. M. USITATA SS. PATRUM CONCILIIS COMPRECATIONE ;
### CUJUS SEDEM ET ANNOS, DE RESTITUTA VALETUDINE GRATULATUR.
### AN. M.DC.LXVI.

C1_21
Vivit Alexander, mendax quem fama negabat
longius extremum ducere posse diem.
Vivit, et Albanos colles petit, Urbe relicta,
incolumis : Clariae solvite vota Deae.

Vestra salus agitur ; quae nunc hoc sospite florent,
incipient artes hoc moriente mori.
Hoc igitur faciles adeamus carmine Divos,
carmine, quo sancti nos praeiistis avi :
cujus Alexander sedem tenet, illius annos
expleat, utque tulit, sic ferat Orbis onus.
Tu, cujus primum auspiciis haec incluta Roma
caelitibus leges terrigenisque dedit :
tu mea tam justam vota exorantia causam
excipe, dum partes Urbis et Orbis ago.
En ut porticibus, pro quo precor, alta coronat
limina supplicibus relligiosa tuis ;
ut solium augustis decorat sublime columnis,
artis divinum se superantis opus.
Quod populus posthac his te venerabitur aris
saepius, hoc illi prosit, opemque ferat.

EIUSDEM SUMMO REIPUBL. CHRISTIANAE LUCTU, AC DAMNO,
XI. CALEND. JUN. AN. &M.DC.LXVII. DEFUNCTI SACRAE MEMORIAE.

C1_22
Quae non flebilibus complevit regna querelis
mortis, Alexander, nuntia fama tuae ?
Te Caesar, te flevit Iber, infestaque nuper
Gallia nunc lacrimas victa dolore dedit.
Nec tulit irarum causas referentia stare
marmora Pipinis invidiosa suis.
Orbis uterque suum fato cessisse parentem
credidit, et pietas omnibus una fuit.
Omnibus ex aequo par sit data causa dolendi,
justior haud ulli, quam mihi causa datur.
Amisius, mecum ante alios maestissimus, urnam
deciduis, in quas solvitur, implet aquis.
Ne tamen assiduo cogar tabescere luctu,
virtuti cautum gratulor esse tuae.
Non tibi summa dies angusti terminus aevi est :
quamlibet invita morte superstes eris.
Nec tibi, quae multis, ponet fataliter aetas
tempora, nec famae meta futura tuae est.
Qua pelagus, qua terra patet, surguntque caduntque
sidera, sunt meritis omnia plena tuis.
Hadria te Thressas armis diffringere Lunas,
teque tuas illi jungere vidit opes.
Hadria Loiolidis, quo se tibi nomine debent,
hospitio dextras junxit, ut ante, suas.
Quam debere tibi gaudet Germania pacem,
se debere diu non potuisse dolet.
Acrior hoc tangit Rhenum dolor, acrior Histrum,
quo fuerat visi gratior oris honor.
Scit bene, quas habeat lugendi Vistula causas,
ille tua posthac destituendus ope.
Scit bene, quas illi dederis in proelia vires,
seu Geta, seu Moscus Marte petendus erat.
Quae mihi praestiteris, si persequar, omnibus undis
Amisius numero fit minor ipse meo.
Talia cum de te peragat praeconia Virtus,
Te rapto lacrimis obruor, et sileo.

## AD CLEMENTEM IX.
## P.O.M. CUM EPISCOPO ET PRINCIPI MONASTERIENSI ADJUTOR SUCCESSORQUE LECTUS DESIGNATUSQUE ESSET AN. M.DC.LXVIII. PRIDIE CAL. MAIAS. EUCHARISTICON.

C1_23

Grandibus immensas tibi debeo, maxime Clemens,
   pro meritis grates muneribusque tuis :
quod tua me populis sacravit dextra regendis
   impositum, Paderae quos rigat unda meae :
quos Mimigarda potens, aequo te judice, nobis
   detulit imperii proxima jura sui ;
tincta nec adversae valido potuere veneno
   invidiae nostrum laedere tela caput.
Sed tua quando meae nequeunt aequare canendo
   Aonides parvis maxima dona modis ;
mente, precor, grata contentus, perge tueri
   praesidio fretum me, Pater alme, tuo.
Sic Tibi dent Superi quod aves, quod jure mereris,
   et pro Te Superos publica vota rogant.
Sic Themidi ambiguam faciat Clementia palmam,
   ornet an haec mores, an magis illa tuos.

## IMP. CAES. LEOPOLDO AUG.
## VICTORIAM HUNGARICAM SINE SANGUINE PARTAM GRATULATUR. AN. M.DC.LXX.

C1_24

Edite Caesaribus proavis, fortissime Caesar,
   orbis et Austriacae spes, Leopolde, domus :
Marte tuos superes, precor, ut virtutibus hostes,
   et jugis circum tempora laurus eat.
Primus in arma ruens poenas, Te vindice, Gotthus
   infestus Cimbris Sauromatisque dedit.
Post Thracem infractum non una clade tyrannum
   sanguineis vidit decolor Ister aquis.
Nunc tibi perjuros debellat Sporchius armis
   Pannonios, nostri gloria magna Padi,
laetaque Caesareas circum Victoria turmas
   serta gerens nulla caede cruenta volat.
Magna quidem ferro populos domuisse rebelles
   laus est, innumeri quam meruere duces ;
sanguinis expertem sed deportare triumphum
   praestat, et imperium laus decet illa tuum.

## AD JACOBUM BALDE, E SOCIETATE JESU,
## VERSICULOS NOSTROS, DE CORVO BARTOLDI NIHUSII, EXSTINCTO, LAUDANTEM.

C1_25

Siccine, quem tristes olim flevere Camenae,
   est tibi visus olor, qui mihi corvus erat ?
Verterit has formas opifex amor : omnia vertit,
   et pulchrum quod non invenit, esse facit.
Quos tu nunc, specie multum delusus inani,
   das corvo vultus, hos dedit ille Jovi.
Di faciant, cui dat corvus te judice nomen,

ille suo dici carmine possit olor.
Tunc me non humili vectum mirabere penna,
quo Calaber Latiae se tulit arte lyrae.
Tunc ego Daedalide ferar huc, ferar ocior illuc,
nomina caeruleis nulla daturus aquis.
Te visam ante alios, ac nostro carmine captus
defluere immemores arriget Ister aquas.
Exceptum Tiberis ripa me sidus Olorum
respiciat tantum, sponte canorus ero.

## AD ACIDULAM FONTIS MELLITI,
## JUXTA SMECHTAM, PAGUM DIOECESIS PADERBORNENSIS.

C1_26

Nympha decus silvae, pulcherrima Nympha sorores
inter Hamadryadas, Naiadasque deas.
Quis te praesenti sparsit medicamine ? Quis te
melliti fontis nomen habere dedit ?
An, magis ut saperent, acidas tibi dulciter undas
ambrosiae succis diluit ipsa Salus ?
An, velut Hyblaeis e floribus omnia libat
fingendi studio sedula mellis apis ;
sic, dum nunc ferri venas, nunc aeris oberras,
vim trahit inde tuae, qua fluit, humor aquae ?
Quicquid id est : stomachi fastidia vincis inertis,
nec sinis accensum bile tumere jecur ;
et quae praeterea versu comprendere non est,
saepius innumeris pota medere malis.
Salve Naturae mulsum, gratissima morbis
sospita, languentum nectar, inempta salus.
Quod mihi si bilem solita virtute coerces,
quae jecori, nimio dum furit igne, nocet ;
carminibus nostris decorataque marmore, nomen
grande salutiferas inter habebis aquas.

## AD S. URSULAM VIRG. ET MART. DE NATALI SUO,
## QUI FUIT XII. KAL. NOVEMB. A. M.DC.XXVI.

C1_27

Virgineas acies quae te lux ordine longo
ducentem superas vidit inire domos ;
auspiciis haec ipsa tuis, fortissima Virgo,
me vitae limen vidit inire meae.
Hinc Tibi sacra fero, votivaque dona quotannis,
natalemque tuum rite meumque colo.
Vela Caledonium si te rapuere per aequor,
excepitque tuas barbara terra rates,
at fera te superis tempestas appulit oris,
optataeque tibi mortis aperta via est.
Nos quoque jactat hiems, et cum superasse procellas
credimur, in portu naufraga turba sumus.
Tu porro secura maris precor, Ursula, portum
ut teneat, nostrae dirige navis iter.

AD S. BARBARAM VIRG. ET MART. PRO FAUSTO VITAE EXITU.

C1_28 Barbara, supplicibus Virgo non aspera votis,
has, rogo, neglectas ne sine Virgo preces.
Stamina cum vitae candente fluentia filo
praecidet Parcis de tribus una soror,
et Mors atra suos diducet, et Orcus hiatus,
coget et infernas in mea damna manus :
tunc succurre meo tam mitis, Diva, labori,
immitis genitor quam fuit ipse tibi.

AD HORTENSIUM MAURUMVERONENSEM, GEORGIO WILHELMO,
DUCI BRUNOWICENSI ET LUNAEBURGENSI, AB EPISTOLIS,
ACIDULAM FONTIS MELLITI, IUXTA SMECHTAM, PAGUM DIOECESIS PADERBORNENSIS,
HOC EPIGRAMMATE LAUDANTEM.

C1_29 Aurea dum primae coluerunt saecula gentes,
Ambrosias populis mella dedere dapes ;
aeriae quercus sudarunt roscida mella,
mel fuit in foliis, mel fuit inter aquas.
Te quoque, qui reddis nobis ea tempora, Princeps
inclyte, non miror mellis amore capi.
Cum Tu sis vere mira dulcedine morum,
melleus ingenio, melleus eloquio,
par est, ut fontes ipsi Tibi mella propinent,
ut Tibi mellitas terra ministret aquas.

RESPONSUM AUCTORIS.

C1_30 Mellitos latices nuper dum libat Apollo
imbutos venae nectare, Maure, tuae :
non magis insignis mira virtute medendi,
carmine quam Mauri nobilis unda mei.
"Vatis, ait, tanti meritis et laude superba,
Castalii poteris vincere fontis aquas."

FONS PAMPHILIUS,
INNOCENTII X.PONT. OPT. MAX. OPUS ADMIRABILE,
IN CIRCO AGONALI ROMAE.

C1_31 Orbis quadrifidi simulacrum cernis in Urbe,
flumina qui nostro fonte quaterna bibis.
Hic Ganges, hic qui dulces Argenteus amnis
in mare perrupta Doride, volvit aquas.
Hic Ister prona recubat septemfluus urna,
et totidem Nilus cornua fronte gerit.
Omnes Roma parens gentes complexa, ministrat
omnibus ex uno fonte salutis aquam.

DE S. PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS MARTYRIO.

C1_32 Cur, capite inverso, plantas ad sidera tollit
affixus domina Petrus in Urbe cruci ?

Ut caput in terris summum, sub Principe Christo,
seque piis certum monstret ad astra ducem.

## DE MARIA REGINA ANGLIAE
## VINDICATA A CALUMNIIS GEORGII BUCHANANI SCOTI LIB. 2. EPIGRAMM.

C1_33
Sum Marie, male grata patri, male grata marito,
caelo invisa, meae pestis atrox patriae.
Nulla aberat labes : nisi quod fuit addita custos
fida pudicitiae forma maligna meae.

## ANTITHESIS.

C1_34
Sum Marie, male spreta Patri, bene cara marito,
caelo accepta, meae certa salus patriae.
Nullae aberant laudes : nisi quod natura negavit
progeniem regnis non satis aequa meis.

## IN RUFUM POETAM MALUM.

C1_35
Nolo, Rufe, tuos, ne dedignare, libellos
in caelum falsis tollere carminibus.
Carmina tu numquam laudas aliena ; quid ergo
laudari quaeris carmina, Rufe, tua ?

## IN EUMDEM.

C1_36
Non mea, quod velles, te laudant carmina, Rufe :
ne tua me laudent carmina, nostra timent.

## IN CANTHARUM POTATOREM SAEPIUS AEGROTANTEM.

C1_37
Post calices haustos toties, potamque salutem,
aeger Apollineam, Canthare, quaeris opem ;
pocula dein redeunt, redit et medicaminis usus :
hoc est, nolle bene, et velle valere bene.

## IN PODAGRAM.

C1_38
Bacchus et alma Venus quam progenuere, Podagram
miretur claudos ecquis habere pedes ?
Ebria quando trahit vestigia Bacchus, et haeret
Tardipedi Cypris consociata viro.

## ADULATORIS ET CORVI SIMILITUDO SECUNDUM ILLUD GRAEC. GRAECUM EPIG.

C1_39
Ecce "kolax koraki" quam concolor esse videtur ;
hic niger est plumis, moribus ille niger.
Hic fronti rapit, ille animo sua lumina ; gaudet
hic cruce ; suffigi dignus et ille cruci est.

## AMICITIA FUCATA.

C1_40
Quisquis amicitiam jungis, ne fronte serena
   tincta venenato pectora felle tegas :
plus fallax oris species, velut abdita rupes
   plus ratibus, quam quae prominet alta, nocet.

## JULIUS CAESAR INJURIARUM IMMEMOR.

C1_41
Omnia conservat memori sub pectore Caesar ;
   sola sed in ventos, quae mala passus, eunt.
Mnemosynen alii laudent : me judice, pluris
   sic oblivisci, quam meminisse fuit.

## DE WILHELMO FURSTENBERGIO EORUM FILIOLO, EADEM HORA NATO, ET DENATO. AN. M.DC.L.

C1_42
Furstenbergiaco Wilhelmus sanguine cretus
   hic jacet : huic vitam, quae dedit, hora rapit ;
vivat ut aeternum, maesti ne flete parentes,
   huic eadem vitam, quae rapit, hora dedit.

## AD FRIDERICUM HÖNINGUMARENSBERGENSEM, ORD. PRAEMONSTR. CANONICUM, CAL. IANUARIIS AN. M.DC.XLIX.

C1_43
Janus adest, sed munus abest, tamen urget amanti
   debita ferre tibi munera gratus amor.
Quid faciam, Friderice ? Tibi si dona merenti
   Musa negat, nostrum cor tibi donat amor.

## IN EFFIGIEM CHRISTOPHORI BERNARDI EPISCOPI ET PRINCIPIS MONASTERIENSIS, PENICILLO THEODORI CASPARI LIB. BARONIS DE FURSTENBERG, CANONICI MOGUNTINI ET SPIRENSIS, ELEGANTER DEPICTAM.

C1_44
Principis ora vides Bernardi, fortibus armis
   victorem supplex quem Mimigarda colit :
Thrax timuit : nec adhuc impune lacessiit ullus :
   scit Batavus. Martem frons generosa refert.
Nec minor est pietas : immo pius arma tuenda
   pro patria, et vera relligione gerit.

## IN BERNARDUM FULGOSIUM, MEDICUM ET POETAM MALUM.

C1_45
Cum tua, Fulgosi, tellus errata medentis
   celet, et aggesta funera condat humo ;
quae nunc tanta animum cepit dementia, luci
   ut mala committi carmina discupias ?

FABII CHISIIS.R.E. CARDINALIS AUSPICATISSIMUS
NATALIS HENDECASYLLABIS JAM OLIM CELEBRATUS,
ANTEQUAM PONTIFEX MAXIMUS RENUNTIARETUR.

C1_46

Ingens gloria purpurae Latinae,
Phoebi delicium, medulla Suadae,
sacrorum Cynosura certa vatum,
paulum, magne Fabi, graves labores
alti pectoris, arduaeque Romae
fultum consiliis remitte pondus,
et nostris solito favore Musis
aspira facilem secundus auram,
dum natalicias sacrare cantu
idus Hendecasyllabi laborant.
Quos duros licet, ac parum politos
laevi pumice, Daedalaque lima,
ut blando tamen in sinu receptos
illa fronte legas, precamur, illa,
qua Septem juga, purpuramque Romae,
et curas Latii Patris serenas,
et nostri rapis ingeni calorem.
Vestris nunc opus est choris, venite
suaves Laetitiae, venite Plausus,
Cantus, Gaudia, Gratiae, Camenae.
Festivo Genium vocate ludo,
et sertis, et odoribus Sabaeis ;
et nataliciis adeste sacris
faustis ominibus, bonisque verbis.
Sollemnem Februarii reduxit
quinquagesima sexta bruma lucem :
natales Fabii canamus Idus.
Idus tot maris Indici lapillis
signandas, quot hiems creat pruinas,
quot ver purpureum per arva flores ;
quot votis celebravit, et coronis
Natalem Venusina Musa lucem
Maecenatis agens, Aprilis Idus ;
quot votis cumulavit, et coronis
idus, Mercurii diem, vetustas
Maio sidere, nobilesque partu
Octobres coluit Maronis Idus.
Ergo cum superas beatus infans
natus Chisiades, futurus heros,
blando murmure personaret auras,
vagitus tener, ac rudes querelae
commissae Zephyris, procul remotas
Parnassi geminis novem Camenas
excivere jugis, Claroque Phoebum,
et Pandionis arcibus Minervam.
Illae Pegaseos repente fontes
liquerunt, et Hyantias cavernas,
et Pindi virides tulere lauros,
et molles violas, rosaeque florem,
parvis munera delicata cunis.

Princeps Calliope labella primum
permulsit tribus osculis puelli,
et vatum simul entheos furores
afflavit, tenerosque fronde crines
cinxit, Bacche, tua, tuaque, Daphne,
nostris Orphea gratulata terris
dono caelituum novo renatum.
Hinc fati quoque consciae sorores
arrisere Deae, lyramque Paean
donavit puero ; puer jocosus
arreptas digito fides procaci
prensavit, fidium daturus omen,
ut quondam dedit Hercules tenellus
omen roboris anguibus peremptis.
Tunc amplexa tenacibus lacertis
mellitum stupet undecumque Pallas
infantem, cerebrumque mollicellum
implet numinis, ac suas olivas
pacis praemia subligat corymbis.
Adsunt, et comitum trahunt catervas,
linquentes Ciceronis aeviterni
pictum veris honoribus sepulchrum,
(quo fixere domum) diserta Pitho,
facundus Lepor, aureumque nodum
segnes solvere Gratiae sodales,
jucundique Sales, et elegantes
doctarum facies Facetiarum.
Quae postquam niveam ligustra nubem
fuderunt bene olentibus canistris,
et felicibus irrigata sucis
sacri nectaris ora miscuerunt :
quales Cecropii Platonis olim,
quales gutture Pindari canoro,
quales Ambrosiis apes labellis,
matres ambrosiae leves crearunt :
dilectis etiam redux ab astris
Virtus remige venit usa cycno,
quae faustos simul augurata soles,
et primo similes dies metallo
promisit puero, faces honesti
admovit, nivibusque concolorem
puris moribus indidit nitorem.
Quin et sidereus Pudor modesta
vivo murice temperavit ora,
et castos Amor innocens ocellos
accendit radiis ab axe raptis,
et Clementia nubibus remotis
frontem finxit amabilem videri.
At custos animum fidelis omnem
munit Relligio timore Divum ;
et contra mala, lividamque sortem
constans aegide Fortitudo pectus.
Tali Chisiacas honore cunas
dignatos Superum choros frequentum
actutum variae viae reportant.
Virtutes patrium petunt Olympum,
et qua se tenues levant per auras,
aurae deciduis pluunt ligustris,

narcissisque, rosisque, liliisque.
Cirrham Pierides, Claron revisit
Musarum pater, Atticas Athenas
Pallas, Suada suam diserta sedem.
Gratantur redeuntibus Napaeae,
occurrunt Dryades, levesque Fauni.
Tellus luteolas benigna calthas
submittit, violasque, amaracosque.
Mitescit positis furor procellis
Tyrrheni maris : Africis fugatis,
in regnum lepidae Favoniorum
succedunt animae beatiorum,
et solae dominantur axe toto.
Laetas interea virere ripas
vernis floribus, ac rosis caducis
spargi flumina, leniterque motas
admiratus aquas tepere blandis
aurarum Zephyritidum susurris,
umbro populea caput corona
umbratum placidis levavit undis.
Quando supposita reclinis urna,
muscosum latus hinc et inde Nymphis
circumstantibus, Orciaque, et Assa,
et Mersa, et Soro, et Arbia, et Malena,
sordes abluit : ille mox jacentem
mento canitiem manu remulsit,
et sic fatidico locutus ore est :
"Ergo pollicitam benigna fata
invenere viam, sagax futuri
quae Proteus mihi caerulus solebat
nostris pandere gratus hospes antris ?
Ergo jam genitus beatus infans,
infans Chisiades, recens Etruscae
gentis delicium, decusque Senae
exspectatus adest ? Adest petitus ?
Sic est : prodigio rigentis anni
venturae manifesta signa sortis
solvunt ambiguam timore mentem.
O felix nimis ! O beata tellus !
Nullis urbibus, et secunda nullis
tanto cive futura Sena terris !
Felix Chisiadum domus parentum !
Summorum genetrix domus virorum !
Quamvis imperio maris potentes
portus Herculeos, Cosae ruinis
vicinos Lepidi fuga notatae ;
et quondam moderata Macereti
arces turrigeras, genus vetustum
jactes nobilium Ranutiorum.
Quamvis perpetuum decus nepotum,
illustres animas, piosque Janos
Tusci nobile germen Iliceti ;
augustos celebres amore vatum,
Anselmos, Mariosque, Flaviosque
armis conspicuos, toga verendos :
jactes et columen jugis avitis,
et stellis jubar additum coruscis
quercum robore Julio superbam,

majorem tibi comparabit unus
famam Chisiades : et ille quondam
inter semideos erit Latinos.
Postquam dulcibus expeditus ulnis
matris Marsiliae, solum paternum
signabit pede jam timente falli,
ingressus duce semitam fideli,
(quam sudoribus improbis madentem
virtutis labor Herculi sequendam
monstravit teneris adhuc in annis)
tentabit subito vireta Cirrhae,
et rupes Heliconias, et umbras
doctae Phocidos, Atticosque lucos,
et sacros Academiae recessus.
Cum lustris adoleverit duobus,
ingens ingenii sagacis ardor
aetatem culicis Maroniani
ictu fulminis ocior trisulci,
Unda fluminis ocior citati,
praevertet, memorique digna cedro
vates carmina finget, et severae
maturus sapientiae satelles
discet Socraticas puellus artes.
Multum Phillyridae datus magistro
Pelides, et Olympicae quadrigae
debent plausibus, et citantis axem
aurigae stimulis : at ille solo
nativi celer impetu caloris
fontes sponte sua petet beatos
pulchrarum cupidus scientiarum.
At mox Palladias valere curas
longis excubiis, et aegra doctis
Musarum studiis salus jubebit.
Sic quae divitis Indiae potentes
thesauros rapit, ac latus sinistrum
praebet continuis sali procellis,
ventorumque minis, nec ulla vitat
audax navifragi pericla ponti,
tandem mergitur, aut fatiscit alnus
silvae filia nobilis vetustae ;
securis nisi portubus potita
quassatum reparet quiete malum.
Tum post otia laetiore cursu
ipsos ausa volare praeter Euros
ad nostras peregrina dona ripas
sospes devehit ultimis ab oris.
Quare viribus integer receptis,
sancto pectora concitatus oestro
viset limina consecrata verbo
clauso Virgineae Parentis alvo,
Picenis ubi collibus resedit
Laureti domus, Adriae per undas
illuc vecta, piis onus catervis
caelestum subeuntibus Quiritum.
Jam nunc impatiens latere, clausus
privato lare, publicas palaestras
Stagirae, cathedrasque, porticusque,
et sacraria maximi Platonis

sublimis vigor ingenii requiret.
Hic quicquid polus ambitu sereno,
et tellus gremio, Thetis profundo,
et natura sinu fovet capaci,
argutae rationis in statera
scrutatum penitus, magistra recti
augustis penetralibus clientem
admittet Themis, imperiique formam
et decreta docebit aequa legum.
Seu quae Cecropiis Solon Athenis,
et Spartae rigidus tulit Lycurgus,
seu justis Numa gentibus Latinis,
et bis sex tabulae Decemvirorum ;
seu quae Romuleae verendus Urbis
antistes dedit, inclutusque Caesar
immensi dominator altus orbis.
Hinc desiderii ferente penna
alto certius Icari volatu
pernicem rapiet sub astra mentem
divinae Sophiae sagax Aquinas,
et velata fides, et alma caeli
majestas superas recludet arces,
et sese dabit, ac Deum videndum,
et puram sine nube veritatem.
Tandem promeritos virente crines
serto triplicis impedire lauri
certabunt Themis, et severa Pallas,
et de Numine differens supremo
caelestis sapientiae facultas.
Sic donis sibi debitis potitus
magnarum novus artium Senator
augustum patriae reget Lyceum.
Mox Sena procul impiger relicta,
qualis fulva Jovis Tonantis ales
nido migrat, et experitur astris
dignam testibus indolem parentis,
antiquae cupiet theatra Romae,
et mundi dominos videre colles.
O quae gloria ! Quanta surget illic
Claro Chisiadae seges laborum !
Nobis tanta nefas canendo famae
incrementa sequi, vetante Proteo,
quae cautus monuit tacenda vates.
Et jam me soliti vocant labores,
et vos, Naiades citant liquores.
Haec Nymphis pater elocutus Umbro,
Tuscorum decus amnium, tumenti
sese spumeus alveo recondit.
Tum laevo tonuit ter axe caeli
fatis addere visus auspicatis
dextram Juppiter approbationem.
Quali murmure siderum frementum
Tuscus saepe suam probavit artem
dilectus superis Tages haruspex.
Nec praesagia posteris in annis
veri certa fides Deum fefellit.
Dum nos grandibus aemulos poetis
Musarum juvenilium labores

miramur, lyricique vatis auram,
et dignum tragico pedem cothurno.
Seu primo cecinisse doctus aevo
Pompeii lacrimabilem perempti
fortunam, Pharii scelus Canopi
damnavit pius, ac truces Achillae
perjuri furias, misertus aequam
ingentis generi labare causam,
quae sit victa licet, Catone magno
et se vindice non tuetur uno.
Seu justi nimis impotens doloris
letum nobile, Martiamque dextram
luxit Marsilii gemente plectro,
dum fortis cadit hostium ruentum
inter funera, prodigusque vitae
pulchro sanguine decolorat aequor.
Seu notum Canis aestuantis astro
triturae genus et modos Etruscae
vates nexuit, et siticulosam
aestatem Clariis rigavit undis.
O rus, o nemus, o beata Tempe !
Villae, jugera dulcis Ancarani,
jucundis loca Tusculi viretis,
udo Tibure, Formiis amoenis,
et blandis mage delicata Baiis,
vicinae nimis invidenda Senae !
Vitavit quoties negotiosae
Urbis moenia, carminumque fetus
frondosis ibi Chisius sub umbris
obstetricibus edidit Camenis !
At quis sufficiat referre plausus
famae praemia, publicasque laudes,
quos docti tulit ingeni ? Paterno
deserto lare, cum profectus omnem
ignoto rapuit stupore Romam
praesens Chisiades, et eloquente
cantu plus vice simplici moratus
oblitum Tiberim viae prioris,
Alcides novus aureis catenis
Tuscorum simul Ausonumque Suadae
sacro murice nobilem Senatum,
et subsellia traxit alta vatum,
vocalis quibus humor Hippocrenes
largae nomina fecit apta venae.
Idem Sulpicios, et Ulpianos,
et Paullos imitatus, et Catones,
cum responsa dedit, fori querelas
expertus tetricas, gravesque causas
oravit, Latiae datus sacerdos
Astraeae, veterum patere legum
nodos difficiles, et involutos
laudavit Themis ; et Rigor severus,
et juris comites Fides, et Aequum,
et Fas, judicis aut sui patroni
stiparunt latus ; integramque dextram
fugerunt avidi Cupido lucri,
turpes Insidiae, malaeque Lites,
et Fraus, et faciles emi Favores.

Sic postquam teneris adulta virtus
annis Chisiadae dedit futuris
omen laudibus, arduisque curis
praelusit gravium negotiorum
Astraeae studiis, et arte Phoebi,
turritum caput altius levavit
Septem collibus, et favente nutu
laetis plaudere visa Roma fatis,
nec maestas Cremerae tumentis undas,
nec Veios meminit dolens, et uno
felices Fabio vocavit Idus
fatalem Fabiis diem trecentis.

## JANICULUS DE VILLA HIERONYMI FARNESII, S. R. E. CARDINALIS, SITA AD PORTAM AURELIAM.

C1_47

Quamvis Janiculum vocent, nec inter
septem mi juga dent locum Quirites,
clarus non ideo minus sepulchro
et Jani patris et Numae, propinquum
tollo nubibus arduis cacumen.
Vel Farnesia villa (quam remoti
prospectus maris, et salubre caelum,
et felix situs, et loci vetustas,
et vultus domini beat, decusque
ingens Patribus additi Latinis)
tantos dat mihi spiritus, ut ipsa
tali munere laetus astra summo
tangam vertice, Romulosque colles
nostris despiciam jugis minores,
et rerum Dominam superbus Urbem.

## DONUM NATALICIUM ALEXANDRO VII. P.O.M. IDIBUS FEBRUARIIS, ANNO M.DC.LXI. OBLATUM.

C1_48

Mos inde a veteri receptus aevo,
ut natalicio die clientes
ultro muneribus colant Patronos.
Proin, quando niveo notanda signo
natales tibi lux reducit Idus,
sueta, Magne Parens, benignitate
donum, oro, famuli tui pusillum,
chartas accipias ; quibus levamen
quaeratur gravibus subinde curis.
Hinc sacros releges pius libellos
et res Isacidum Patrum, Ducumque,
et Regum memoranda facta, et arma
eductamque Deo sub astra molem :
illinc Austriadum videre vultus
spirantes Procerumque, Caesarumque
heroasque juvabit intueri,
Musarum columen, decusque Martis.
Sollers quae manus, ingeniique mira
virtus mollibus edidit figuris.
At festam referente sole lucem,

late porticus alta Vaticanam
amplectentibus aream columnis ;
et navalia, templa, portae et aedes,
et fontes salientibus rigantes
Urbem, perpetuis viis patentem,
docta forsitan offerentur arte
aeri incisa Tibi : sed illa quanto
mox expressa perennius canoris
vatum carminibus, per ora vulgi
laudes usque tuas ferent, ab ortu
primo solis ad ultimum cubile ?

AD BERNARDUM ROTTENDORFF ARCHIATRUM MONASTERIENSEM,
DE INSULSISSIMIS CONRADI BIERMANNI VERSIBUS DONO MISSIS.

C1_49

Nuper quod mihi pessimi poetae
scabros, illepidos, et invenustos
misti versiculos, amice, dignas
tali munere gratias habemus,
Rottendorffe, tibi, novem Sororum
et Phoebi decus : haec enim venena
gustanti stomachus repente motus,
tussis quando levem minata febrim
quassabat latus, et caput gravedo
torquebat, simul expulit nocentes
morbi relliquias prioris omnes.
Ast ut carmina pessimi poetae
sic mi reddere visa sint salutem,
tu posthac cave, ne modi remittas
hujus munera, pestilentiora
morbis omnibus, omnibus venenis.
Contra si facies, scias necesse est,
actutum piperi togam datura,
aut nidum tineis araneisque,
aut poenam subitura, quam Catullo
pleni ruris et infacetiarum
Annales Volusi dedere vatis.

DE MOPSO FIDISSIMO CANE MORTUO.

C1_50

Mopsus hic jaceo, canis venustus
longis auriculis, et ore pando,
custos assiduus domi forisque
nostri Principis, et comes fidelis :
equo seu fuit ire, sive curru,
seu trita pedibus via voluptas.
Hinc me carior haud erat ; nec alter
posthac est aliis futurus annis
me carus magis, aut magis peritus
blandiri Domino ; et sagax natantes
venari medias aves per undas ;
gyros carpere, et exsilire in altum,
et gressus glomerare tam superbos,
quam non ullus equum docet magister.
Nunc fractum senio peremit aetas,

et grati pietas Heri peremptum
urna composuit. Sed atra tantum
functo mors mihi non dolet, dolenti
quanto, quod domino, mei reliqui
heu ! desiderium, mihi dolori est.

AD JOANNEM WISSE ATTENDORIENSEM, E SOCIETATE JESU,
IN ACADEMIA PADERBORNENSI SS. THEOLOGIAE DOCTOREM,
GALLINAM ET DUOS SERPENTES EODEM IN NIDO OVIS INCUBANTES,
PROPE VILLAM COLLINAM IN DIOCESI PADERBORNENSI AN. M.DC.LXVIII.
HOC EXTEMPORALI EPIGRAMMATE DESCRIBENTEM.

C1_51 Juxta humilem gallina casam male provida, putri
   urticas inter nidificarat humo.
En coluber geminus caeco prolapsus ab antro,
   ova super multo lubricus orbe cubat.
Nil trepidat gallina ; duos super incubat angues,
   officii mater gnava tenaxque sui.
Nec cessat coluber ; sub pluma matris et ungue,
   quod neuter peperit, fotus uterque fovet,
et facit ambiguam foto de semine litem,
   sit pullus colubri, sitne futurus avis.
Femina decidit litem, non ore, nec ense,
   at sude vipereum comminuendo caput.
Pythonem jaculis armatus stravit Apollo,
   occidit colubros Bructera Nympha duos.

RESPONSUM AUCTORIS

C1_52 En pro versiculis tuis, amice,
una qui simul incubatione
invisa prius ova confoventes,
gallinam, et geminos canunt colubros,
iratae sude villicae peremptos ;
insignes tibi mittimus rubenti
cancros tergore, bracchiisque curvis,
villae munera ; nec minus precamur,
illorum dape laetus ut fruaris,
et, te judice, delicatiori
sic omnes superent sapore pisces ;
ut, me judice, carminum tuorum
binus munere consecratus anguis
immortalibus usque et usque saeclis,
Pythonem super, et laboriosi
Alcidae celebrem levatus Hydram,
inter sidereos micabit ignes.

AD CLEMENTEM X. P. O.M. OCTOGESIMO AETATIS ANNO,
PAUCIS ANTE CLEMENTIS IX.PONTIF. MORTEM DIEBUS, CARDINALEM,
AC PROXIMIS INDE COMITIIS VATICANIS SUMMUM PONTIFICUM RENUNTIATUM.
AN. M.DC.LXX.III. KAL. MAII.

C1_53 Clemens, optime Romuli nepotum,
princeps et patriae parens, et orbis,

quando muneribus tuis rependam
grates, quas ego debeo perennes
in me tot meritis tuis, meusque
mecum debet, et usque debiturum
frater se meritis tuis fatetur ?
Sed dignas prohibet referre grates
ingens copia munerum tuorum.
Ergo quae pietas amorque dictat,
et blando recipit benigna vultu
majestas tua, pro tua salute,
nec non imperio tuo precantes,
votis nectimus auspicata vota ;
ut Te nemo diutius Quiritum,
doctrina, ingenioque, moribusque
dignis murice, debuit mereri
serum purpurei decus senatus,
et nemo citiusque, digniusque est
summis orbis honoribus potitus ;
sic Te nemo diutius Quiritum,
summis orbis honoribus fruatur.

AD MATHIAM NALDUM,
ALEXANDRI VII.PONT. OPT. MAX. MEDICUM INTIMUM,
APHORISMOS HIPPOCRATIS NOTIS ILLUSTRATOS FLAVIO CHISIOS.
R. E. CARD. AMPLISSIMO DEDICANTEM.

C1_54

Phoebi sacrarum praesidis Camenarum
artisque, morbos quae domare cessantes
potens medelis, et salubribus succis,
secanda profert saepe fila Parcarum,
decus perenne, maximoque Alexandro
dignus Machaon, quid moraris in dias
emittere auras luminis senis Coi
divina, Nalde, scita ? Quae dies longa,
et imperita turba plurimis mendis
opplerat, hactenusque noverant pauci :
at mox, favente Delio, tuis curis
detersa, doctrinaeque luce perfusa
legentur, et qua Sol renatus Eoo
surgit cubili, quaque conditur fluctu.
Quare secundo munus inclytum plausu
volare docta per virum sinas ora
late, benigno, Nalde, Flavii tutum
favore, nuper arte qui tua, multa
cum laude, rebus restitutus Urbanis,
regnique curis, publicaeque terrarum
felicitati, Patruoque servatus
excipiet, usque muneris memor tanti,
tui sereno lumine ingeni fetum :
ejusque sidere actus invidus livor,
et Zoilorum turba cedet, ut nubes
fugit corusci pulsa Solis aspectu,
pontique saevientis atra tempestas,
simul refulsit alba stella Pollucis.

AD JACOBUM PHILIPPUM NINIUM,
ALEXANDRI VII.PONT. OPT. MAX. CUBICULARIUM INTIMUM,
ET SUPPLICIBUS LIBELLIS PRAEPOSITUM.

C1_55

Nini meorum lecte flos amicorum,
cui melle Hyblaeo dulcius fluit purae
orationis nectar ore facundo,
rerum potenti cum refers Alexandro
negotiosa supplicantium vota.
Humanitatis saepius tuae fructum
expertus, oro, teque rursus obtestor,
ocius amici supplices preces nostri
recites. Quiritum namque fata formidans,
acerba fata, sospes ad suos Bojos
avet redire, carbasisque remisque
fugae secundos provocantibus ventos
per arva late vectus alta Neptuni
adire litus hospitale Gallorum.
At Vaticanae dona nunc potestatis,
cui paret aether, inferique, tellusque,
tantum requirit. Impios canis praegnans,
parraeque cantus, montibusque decurrens
lupa Lanuvinis, imbriumque divina
avis imminentum terreat : quid huic obstet,
iterque rumpat, si quod unice poscit,
cursus precetur prosperos Alexander.

AD NATALEM RONDININUM. JOCUS.

C1_56

Quod utrique nostrum commodavit argentum
ad vestiendum Graeculum Favoritus,
cur, Rondinine, debuisse me solum
reglutinare judicas, minus recte
in me retorquens neglegentiae culpam ?
Debere nulli me libentius novit
idem ille, semper qui mihi Favoritus
facit benigne, mutuae voluntatis
fideique certus usquequaque constantis.
Ne creditoris ergo debitor partes
agas, amice, non rogatus obtestor ;
quin ipse cures, ut bonum sies nomen,
fidemque semper aemulere Germanam.

IN AUCTOREM INEPTI EPIGRAMMATIS, IN AUGUSTINUM FAVORITUM SCRIPTI,
QUO ULTIMAM SYLLABAM ‘ALIPES’ DE PEGASO LOQUENS, CORRIPUIT.

C1_57

Insulse vates, quid (malum) Favorito,
Musarum ocello, quem volare Parnassi
utroque tutum suspicit jugo Phoebus,
casum ominaris, Icarique fortunam ?
Potius timendum est pessimo poetarum
tibi, per caputque pedesque ne ruas praeceps,
ut Lampsacenus ille, monte Pimplaeo ;
poenasque dignas alipes Medusaeus
centum reposcat calcibus, quod extremo

pede immerentem claudicare fecisti.

AUGUSTINI FAVORITI RESPONSUM.

C1_58

Quod usque ab Adriatico in Favoritum
adunca torvus cornua, ac truces armat
dentes Poeta pessimus poetarum,
in immerentem saeviens et ignotum,
ignotus ipse ; vapulare, Fernande,
fortasse meruit : Pegasum quod offendit,
haud jure vatem criminaris ; in toto
nil ille fecit elegantius libro :
pes namque claudus Pegasi, ut tua fecit
tam dulce carmen prosiliret e vena.

ALEXANDRO VII.PONT. OPT. MAX.
CALENDIS JANUARIIS AN. M.DC.LXVI. FELICITATEM PRECATUR.

C1_59

Cur Musa longo desides silentio,
aurata quondam docta fila tangere
citharae loquacis ? Quin Alexandro novis
Jani Calendis dona depromis nova ;
aut digna majestate si tanta nequis
afferre, vota nuncupans sollemnia
pro re Latina, proque gente Chisia,
quot vere flores educat Favonius,
aestate aristas flava quot numerat Ceres,
autumnus et quot pingit uvas purpura,
frondes quot altis decutit silvis hiems,
felicitatis tot precare Maximo
donis refertos vehat Alexandro dies
numeris Hic Annus Absolutus omnibus.

AD FABIUM CHISIUM EPISCOPUM NERITONENSEM,
INNOCENTII X.PONT. OPT. MAX. CUM POTESTATE LEGATI DE LATERE NUNTIUM,
ET PACIS INTER EUROPAE PRINCIPES CONCILIANDAE MEDIATOREM,
MONASTERII WESTPHALORUM, CUM AUCTOR ILLIC PER AESTATEM AGERET.
AN.M.DC.XLVI.

C1_60

Fabi, sinistro jam nimium diu
deproeliantum Numine Principum
   delecte pacator, suumque
  orbis in exitium ruentis
spes fida, nec non Palladis, ac novem
decus Sororum, perge tuis, precor,
   suadere Musis, aureamque
  exilio revocare Pacem.
Gaudent amoris foedere mutui
Pax et Camenae. Tuta placet quies
   utrisque, nullo classicorum
  rupta sono, tonitruque belli ;
et quae sacrarum Cecropis arcium
regina claris praesidet artibus,

utrimque communes olivae
vindicat ingeniosa Pallas
cum Pace ramos. Tam bene convenit
cum Pace doctis Vatibus, et tibi,
quem prima fulgentis metalli
saecla jubet renovare Pacis
Columba miti germine Palladis ;
quem signa quercus incluta Chisiae
ramis decussatim ligatis
vincla monent reparare Pacis.
Quin ergo nostris finibus ad Getas
Martem repellis : nam Deus omnibus
in nos obarmavit nocendi
artibus, insidiisque Martem,
letumque, et atris esuriem genis,
et pone scissis Tisiphonen comis
subire jussit, cladibusque
innumeris cumulare clades.
Non ante Virtus oppida, non agros
Cornu revisit Copia divite,
non ante Strages, et Malorum
mille procul fugient catervae.
Quis pace gaudet sanguine civium ?
Quis pace luget militiae gravis
tributa ? Vicorumque maestis
funeribus, viduisque campis
illacrimatur ? Nec potius mero,
cantuque curas et fide Teia
sub hospitali fallit umbra,
qua vitreae fuga ludit undae,
aut qua jocosis lene Favoniis
impulsa quercus garrula proximam
quercum salutat, sub virenti
tristitiam tumulat sepulcro ?
Tunc laeta culmis arva feracibus
stipata rumpunt horrea frugibus,
nostraque mercator Batavus
messe suas onerat carinas.
Tunc uva certat plurima purpurae,
pomisque vinctus tempora mitibus
autumnus ad plenum beatas
fundit opes avidis colonis.

AD AMICOS GERMANOS IN ITALIAM PROFICISCENS
AN. M.DC.LII. INEUNTE APRILI.

C1_61
Imus in Ausoniam : pressis jam pugnat habenis,
iterque laeto poscit hinnitu fremens
Cyllarus, impatiensque morae pede spargit arenam,
praetervolare gestit et cursu Notos.
Imus, et assueti Dircaeo sidera cygno,
Phoebique sacrum Pegaso vecti nemus
visere, jam mediis insertas nubibus Alpes,
qua fabulosam stravit Alcides viam,
aut, qua Poenorum ductor juga rupit aceto,
flammisque cautes torridas ferro scidit,
scandemus celeres ; nec post discrimina terrae,

tumultuosos Adriae fluctus maris
securi Veneta metuemus frangere cumba,
delphine Arion si natat tutus suo.
Nunc igitur dilecta domus, fratesque, sororesque,
et vos, Nepotes, dulcis aetatis rosa,
Furstenbergiacae memores virtutis Iuli,
valete, nostri generis optatum jubar.
Vivite caelestes animae, meliore metallo
certam trahentes saeculi primi notam,
quas amor, et Musae docta cum Pallade nobis
constante semper alligaverunt fide.
Velde vale, primum quo nostra Thalia magistro
libare fontes ausa Castalios fuit,
Historiae vatumque decus, Suadaeque Latinae ;
et qui, Camenis pariter ac carus mihi,
me juvenem teneris cura complexus ab annis,
Honinge fida, doctus ut Chiron, manu
duxisti, Patrui quo per vestigia Virtus
domus avitae gloriam sequi jubet.
Te quoque, Veckeni, praeclarum Scaldis alumnum,
nostroque lumen mutuum Rheno datum
Doctrinae, Sophiaeque, sacer quam tradit Aquinas :
et te, Maseni, magna Pindi gloria,
amplector ; dextramque tuam, Crumbache, tuamque
longum, Geleni, stringo dicturus vale.
Sed Mallincrodios, et te suavissime Torcki,
et utraque Phoebi laude Rottendorffios
praestantes, aevi clarissima lumina nostri,
amor salutis noster absentes colit
eminus obsequio. Nec te, Bollande, disertum
Antiquitatis sanctioris Livium
praeterit, aut numerose tuas, Baldaee, Camenas,
vatemque veris floridum Bisselium.
Omnibus impertit, quae basia debet, amicis
gaudere jussis et valere longius.
Sed me tam caros linquentem Roma sodales
communis orbis universi civitas
allicit, et Latiae rapiunt miracula terrae ;
seu quae vetusta, seu recens aetas tulit.
Jam Paderae Tibrim, jam septem praefero colles
Angariorum montium cacumini.
Jam mea Bilstenias fugio cunabula rupes,
et, qui propinquo mons Caballinus jugo
surgit, et accipitres pernicibus educat alis
certare doctos ardeis Britannicis.
Praecipue commendat iter mihi gratia praesens,
et purpurati Chisii recens honos ;
qui movisse potens vel avitas carmine quercus
facundus Orpheus nos in Ausoniam trahit.

AD NICOLAUM HEINSIUM, ET LUCAM LANGERMANNUM,
ROMA FLORENTIAM DISCEDENTES,
AN. M.DC.LII. 3. KAL. IULII.

C1_62

Nobile par juvenum, suboles praeclara parentum,
candida Thesei biga sodalicii ;

quam laetus fuit ille dies, quam risit amico
lumine, vos primus quo mihi junxit amor !
Quo tres una domus cepit, facilesque Camenae
jusserunt Charitum nectere lege manus.
Ille dies rerum dominam mihi cernere Romam,
et quicquid priscae rudera laudis habent ;
ille Quirinales accedere Principis arces,
Chisiadae Musis praesidioque frui ;
ille dedit Latiae mirari flumina Suadae,
Ille dedit vestrae carmina mentis opus.
Langermanne, tibi totas indulsit Athenas
Graecia, delicias et tibi Roma suas ;
et quicquid Venerum formoso vertice Pindus
possidet, ac sacris Cirrha propinat aquis.
At te, quod patrii ditissime numinis heres,
Heinsiade, Batavi gloria magna soli,
quid dicam numerosa tuas in carmina vires ?
Quid celebrem Clario pectora feta Deo ?
Niliacus rugas jam toto corpore vates
exuit, et calamo barbara menda tuo.
Jam quoque Paelignus tenerorum lusor amorum,
ut niteat, similem sperat et optat opem.
Jam Sueonum laudata favet Christina poetae,
Aonii columen deliciumque chori.
Se minor illa tibi septem diadema Trionum
inclinat, plectris et sua sceptra tuis.
Maxima Gustavi si tanti filia Regis
te facit, ac citharae vis rapit illa Deas ;
Heinsiade nostros mirari desine plausus,
et, mea quos dictat Calliopea, modos.
Te mihi notus amor Phoebi, te gratia fandi
conciliat, magni quod Patris instar habes ;
non ut amare tuae non possim mentis acumen,
et cultum variis artibus ingenium.
Sed quid amo ? Fortuna diu vetat esse beatum ;
et, quae prima dedit gaudia, prima necat.
En prius optato coalescere coeperat usu
noster amor, nostri Majus amoris erat ;
cum fugitis, dilecta cohors, cum verna voluptas
omnis, et in primo spes mihi flore perit.
Et tot delicias, et tot rapit una lepores
hora nimis studiis insidiosa meis.
Ergo nec antiquo Tarpeia cacumine rupes
ardua, nec reliquis tot monumenta jugis,
nec vos Roma recens, nec quae nova surgit in altum
pyramis, et largas ejaculatur aquas ;
nec praeceps Anio, nec amoeni Tiburis horti,
Tuscula blanditiis nec tenet aura suis ?
Nec tot amicorum lacrimae, Vatumque querelae,
nec tot propositum vota morantur iter ?
Ah fortunato nimium Florentia caelo
vos trahit, et Tuscis allicit Arnus aquis !
Scilicet illa viae fastidia vincit et aurae ;
et desiderio mitigat astra sui :
nec patitur valuisse preces, nec amica dolentum
signa, nec humentes pondus habere genas.
A precor, et superi saltem pia vota secundent !
Quando meas surda temnitis aure preces.

Auspiciis, precor, ite bonis, et numine dextro
per juga, Flaminia per loca plana via :
sic precor, et vobis volucer Cyllenius adsit,
et melius virga, vel pede signet iter.
Sic Appennini subsidant culmina montis ;
aut tollat vates Pegasis ala duos.
Sic precor : umbrosae veniant ad tempora lauri,
frondibus et calidos frangat oliva dies ;
et Zephyrus blandis permulceat ora susurris,
et levis intonsas ventilet aura comas :
et Satyri ludis, et euntibus obvia plaudat
Naiadum pulchris juncta Napaea choris :
sic precor ; incolumes patriae Florentia tandem
reddat, et oblitos non velit esse mei.

## AD ALEXANDRUM POLLINUM.

C1_63
Ingens Ausoniae lumen, et Atticae
Suadae flos, et amor Palladis, et decus
nostrae dulce Camenae,
nec non candidus arbiter,
quid, Polline, latens jam nimium diu,
cedro digna negas edere carmina,
et durus pater abdis
fetus divitis ingenii ?
Non, ut deliteas, te Deus aurea
donavit cithara Delphicus, et sui
multa parte Thalia
versus nectaris imbuit.
Ingratus metuat laedere numina,
qui, quae dona sibi contulerint, premit.
Tu Parnasside lauro
vinctus tempora, nobilem
indulgens meritis sume superbiam,
et te victor humo praepetibus leva
pennis, et super alta
certus tendere nubila,
ales sideream carpe citus viam.
Paullum desidiae distat inutili
quae demersa profundis
virtus in tenebris jacet.
Quis pugnata duci proelia Dardano,
et Trojae profugos in Latium Deos,
quis surgentia nosset
Urbis moenia Romulae,
morem si rigidis imperiis gerens
flammis continuo Caesar edacibus
immortale Maronis
commisisset opus sacri ?
Vera laude caret saepe modestiae
virtus, et vitio proximus est pudor,
qui vitare perennis
audet lumina gloriae.
Quod si purpureum sponte vides diem,
formosumque caput crinibus aureis
alta nocte sepultis
terris reddere Delium,

cur te perpetuae noctis amor tenet,
frustrantem cupidas Romulidum preces,
et spes ? Plena secundis
tandem pande Favoniis
famae vela tuae, finibus Italis
qui porrecta domum Solis ad ultimam, et
septem regna trionum
late nomina proferant.
Mox te Pierio carmine nobilem
dignis posteritas tollet honoribus,
magnorumque beatis
vatum coetibus inferet.

## AD STEPHANUM GRADIUM ABBATEM.

C1_64

Sic tibi sint faciles Musae, sic dexter Apollo
sororibus cum Gratiis
adsit, et attentis bibat auribus, optime poscis
quae supplici, Gradi, prece :
ut mihi flexanimo permotam carmine mentem
alti tenacem consili
expugnas. Juvat ire jugis, juvat usque relictum
lustrare Musarum nemus,
et virides hedera rupes, et rupibus undas
haurire manantes sacris.
Sentit enim Phoebi stimulos, et pectus anhelat
calore succensum tuo.
Non tamen heroos ausim temptare cothurnos,
magnique laudes Chisii
deterere ingenii culpa. Quis namque canendo
aequare virtutes queat ?
Quis Melitae curas, aut fortia facta Padusae,
quis alta Romae munera ?
Nemo difficiles pacis, mihi crede labores
cantare dignius potest
ipso Chisiade ; seu ferrea Martis iniqui
abominatus saecula
luget, et undantem Germano sanguine Rhenum
et arma damnat impia :
seu conjuratas Bellonae justius iras
in terga verti barbara
imperat, ac fido lacerari cornua ferro
Lunae superba Thraciae.
Sed quae vesanas agitat discordia gentes ?
Quis mutuas caedes furor ?
Quae rabies ? Aut quae dementia suadet amico
emi cruore lauream ?
Quis pudor Odrysii regnum fulcire Tyranni
labentis Europae malo,
et, Venetas qui carpat opes, permittere Cretam
Scythae premendam perfido ?
Parcite civili jam tandem parcite bello :
satis ruinas urbium
flevimus, et sparsos cognato sanguine campos :
datum satis discordiae.
Parcite : vel si tantus amor vos Martis adurit,
si tanta regnandi sitis,

mutatis odiis Gallus conspiret Ibero.
Hic nota per vestigia
regna petat Libyae : Solymos magis ille triumphos
virtutis antiquae memor
ambiat, et palmas late frondentis Idumes
victrice decerpat manu.
Ite alacres, ite ergo, mari date vela secundo
devota pugnae nobili,
ite, pii Reges : conjunctas foedere dextras
communis armet ultio,
aut metus, incumbat propius ne barbarus hostis
clara potitus insula.
At nos, Germani proceres, jam pace recepta
ad arma cessantes nova
Ister ad arma vocat, dudum indignantibus undis,
qui Bistonum pressus jugo
servit, et excidium nobis ac damna minatur
extrema fortunae gravis.
Quin igitur pulchra pro libertate ruentes
vicina Budae moenia
rumpimus, et vastus qua verberat ostia Pontus
immugientem Bosphorum
addimus imperio, referentes signa superbis
derepta Byzantii tholis ?
Tunc me cognatas acies, et nobile bellum
gravi sonantem barbito
miratus, nostras laudarit forte Camenas
silente Rhenus alveo.
Tunc et Maeonio seu carmine nobilis arma,
sive efferas pedestribus
docte Gradi historiis, ingentia facta meorum
seros docebis posteros.

AD JOANNEM BAPTISTAM TURRICELLIUM, PATAVINUM.
NE POPULARIBUS RUMORIBUS FIDEM HABEAT.

C1_65
Tu cui sollertem rerum prudentia mentem
formavit, et Phoebus pater
fatidicos lucos Heliconis, et antra reclusit,
amice, veri conscia,
quid bibulam dubiis donas rumoribus aurem ?
Quid vana Romae sibila
sollicitant animum pendentem murmure vulgi,
ut ore doctoris puer ?
Sive infanda sonat convicia, sive tumentes
buccas resolvit laudibus
immodicis, famae, moneo, ne crede loquaci ;
quam praevolant Calumniae,
insidiaeque sequuntur, et artes mille nocendi,
livorque laetis anxius,
Nec non Blanditiae, corruptaque Gloria fuco,
et empta vulgi Gratia.
Sint portenta hominum nigro suffusa veneno,
et plena falsi pectora,
qui, dum viperea fingant mendacia lingua,
sese poetas aestimant.
At satis exoriente die commenta patebunt

et virulenta somnia,
aut evanescet rumor, qui crevit eundo,
crescente temporis mora,
qualis in Assyriam Gyndes exundat, et idem
Cyro jubente, naufragum
propter equum, late centum diductus in amne
decrescit ipso se minor.
Ergo si populi sermonibus exul amicus
narratur aula, ne favor
illum destituat, ne gratia vitrea frangi,
timere non erit tuum
ante fidem certam, primae nisi credulus aurae
dolere bis velis miser.
Sic etiam vulgo si cuiquam teste paratur
Latina forte Purpura,
seu Vaticanae Sedis suprema potestas,
sperare non erit tuum.
Ne frustrata gemat, ne votis usa secundis
mens gaudiorum praecoci
germine decerpto, maturos perdat honores,
et vana spem ludat seges
laetitiae. Exspectare licet : dilata voluptas,
ceu lenta veris gratia,
plus juvat, et densis placet eluctata tenebris,
micansque, ceu sol, Veritas.

## AD FRANCISCUM MACEDOLUSITANUM, DE MORTE THEODOSII LUSITANIAE PRINCIPIS.

C1_66
Qualis in Hesperii, Francisce, cubilia Ponti
emensus astrorum vias
praecipitat Titan, mox fluctibus exit Eois,
crinem repexus aureum,
pulchrior, igniferoque diem vehit axe recentem,
et noctis umbras dissipat :
talis Theudosius, dominantum sanguis avorum
utramque per solis domum,
virtutumque paternarum non degener heres,
et grande Lusiadum decus,
occidit, et raptus primaevo flore juventae
una parentis arduas
spes secat, et maestas damnat caligine gentes,
et regna divitis Tagi.
Nec mora : convexi surgit novus incola mundi,
pictosque stellarum globos
calcat, et immensi tractus speculatur Olympi
incertus, an sidus novum
occupet Herculei radiantia terga Leonis ?
Aequamne libram Virginis ?
An fratres Helenae geminos ? An Orionis ignes
accendat aemula face ?
Sed titulos quaecumque tuos plaga lucida caeli,
quaecumque nomen sidera
accipient : certe patriis sublimis ab astris,
Auguste Princeps, despicis
sub pedibus nunc fata tuis, sortemque tuorum,
et sceptra curas regia,

et, si certa fides, si veri doctus Apollo
vatum secundat omina,
jam mixtus Superis calida prece Numinis iras
franges ; et auri saecula
prima Tago referes (qui nunc male decolor undas
cruore cognato trahit)
et consanguineos in mutua foedera Reges,
amica pacis foedera,
restitues, ac bella procul (qua Bosporus audax
ignota committit freta)
vertet ab Hesperiae populis in cornua Lunae
votis tuis motus Deus.
Tunc repetet Solymas arces, et signa profanis
avulsa Thracum postibus
Romuleas late victrix suspendet ad aras
bellantis Europae manus.
Haec tua nunc pietas, et, adhuc dum vita manebat,
jurata promittit fides.

AD NATALEM RONDINUM DE PHILAUTIA FUGIENDA.

C1_67

Qui sua caecus amat, ceu natos cercopithecus
amore vesano fovet,
et necat amplexu, formam admiratus et ora
ridenda, visu et turpia ;
audiat exemplum sacri miserabile vatis,
aurita qui Thracum potens
saxa movere sono, blanda prece carminis ima
Ditis refregit atria,
non exorato portas adamante rigentes
ingressus, ut raptam sibi
Eurydicen superis Proserpina redderet auris,
lyrae sonantis praemium.
Reddita jam fuerat conjunx, cum pone sequentem
jurata contra foedera
respicit infelix Orpheus, et quam nimis ardet,
amando perdit conjugem.
Tristia Narcissi quis funera nescit, et ignes ?
Quem fontis umbra lucidi,
et sterilis decepit amor, dum prendere vultus
imo repercussus vado
sollicitus, visae tabescit imagine formae
amator imprudens sui.
Ergo cave, quisquis simili vesanus amore,
Apollinari laurea
carmina digna putas, nugis quae plena canoris,
sed cassa rebus parturis
iratis Musis. Tantum sitis improba laudum
suadere amat dementiae.
Non eadem nobis es, Rondinine, monendus,
ocelle gentis Italae,
noster amor, qui jura licet divina piorum
perfusa doctrina Patrum,
et Latii veteres, et Graiae Palladis artes
claudas capaci pectore ;
non ideo temet vanus miraris, ut ales
superba Junonis solet

pandere laudatae gemmata volumina caudae
ad discoloris Iridis
invidiam. Quin ipse gravis tua carmina censor,
linenda cedro carmina,
exigis ad limam, non dedignatus amici
sensum atque mentem exquirere
ingenui : nec theta nigrum quandoque recusas,
aut pollicis versi notam.
Sic Venusinorum sermonum candidus audit
judex Tibullus, et suos
Nasoni solitus recitare Propertius ignes
arbitrio illius stetit.
Sic et Apelleas Lysippus saepe tabellas
colore vivo perlitas,
signaque Lysippi spirantia doctus Apelles
cura recognovit pari.
Nempe minus peccat, praebere fidelibus aurem
quicumque praeceptis amat.
Nec metuit Bavios, qui sese, judice recto,
castigat erroris reum.
Ingenium quicumque suum pluris facit aequo,
non aestimandus posteris,
aut tineis epulas, aut scombris debet amictum,
ridenda vulgi fabula.

AD GUILIELMUM FURSTENGERGIUM, FRATREM SUUM,
CANONICUM TREVIRENSEM, PADERBORNENSEM ET MONASTERIENSEM,
ROMA PER GALLIAM,
UBI MARSILIAE PORTU OB PESTILENTIAE SUSPICIONEM PROHIBITUS,
TELONE SUSCEPTUS, ET LUGDUNI GRAVI POSTMODUM MORBO TEMPTATUS FUIT,
IN GERMANIAM AD SUOS PROFICISCENTEM AN. M.DC.LVI. NON. NOVEM.

C1_68

Ergone Tyrrhenum volitanti per mare puppi,
et impotentibus Notis
credulus, ire paras ?
Nec foedas hiemes, nec monstra natantia ponto,
nec saxa palles naufraga ?
Quin etiam fidei
immemor ante datae, Romam fugis, atque sodales,
et fratris, o vita mihi
frater amabilior,
deseris amplexus votis tua vela sequentis,
ne saevus illis Africus
ingruat, aut Boreas.
Verum age, quando fugae certam jam nulla morari
mentem queunt suspiria,
Oceanive minae,
i felix, longumque vale, celeremque carinam
regant benigna sidera
fratribus unanimis
Tyndaridae, pelagique potens Neptunus eunti
irata componet freta,
Nereidumque chorus
adsit, et alma Thetis, dum ventis usque secundis
sparsas per aequor Stoechadas,
Phocaicosque sinus
attigeris. Mora nulla : petas tunc sospite cursu

optamus urbem, quam celer
alluit hinc Rhodanus,
illinc lentus Arar. Sed quid praesaga futuri
sinistra fata mens timet ?
Sit, precor, augurii
vana fides, meritisque tuis votisque tuorum
permota, spes Germaniae
numina respiciant.
Hinc infelici positas in rupe Gebennas
praetervolabis, et juga
plurima sideribus
proxima transgressus, descendes flumine Rheno
beata demum patriae
arva videre tuae,
arva olim proavis regnata, et caede Latina
conspersa, qua Varus gravi
stratus ab hoste jacet.
Quos ego nunc plausus audire ? Quot oscula caris
divisa amicis, intimae
quas videor lacrimas
cernere laetitiae testes ? Quae gaudia fratrum
terra marique devium
fratris iter reducis,
et res optantum nostras, Italumque labores,
et facta Alexandri incluta
noscere ? Quae dubiis
narrabis melius rumoribus, ipse fidelis
spectator : ut pulsa fame
finibus Ausoniae,
illius auspiciis opulento Copia cornu
bearit urbes, et redux
frugibus arva Ceres :
ut nunc consiliis praesentibus, impiger Hydrae
qualis renascentis caput
Amphitryoniades,
infestam Latio pestem premat inclytus Urbis
servator, hinc et patriae
audiat usque Pater :
nec tamen has inter curas, terraque marique
Cretae laborantis piam
mittere rebus opem
cesset, et Europae convertere bella furentis
in regna late barbara
Thracis, et exitium.
Haec et plura tuis memorans, nec vota silebis
Romae precantis jam diu
egregio juveni
virtutis patruae vestigia sacra legenti,
decus Latinae Purpurae,
et meritos titulos.
Intacti siquidem mores, animusque benignus,
ac vena dives ingenii,
cultaque Pieriis
artibus, et Themidos studiis, ac sub lare sancto
nutrita mens, et indoles
vivida Chisiadae
spem faciunt, curas partito ac pondera mundi,
longos Alexandro fore

et sine nube dies.

----------------

# LIBER II

(1131 vers)

ADOPTIVORUM* CARMINUM LIBER SECUNDUS,
QUI VIRI ILLUSTRIS CASPARI FURSTENBERGIIMUSAS,
ET ALIORUM POEMATA FURSTENBERGIIS INSCRIPTA,
COMPLECTITUR.

*Le mot indique que, dans cette oeuvre, le poète mêle à ses propres poèmes des oeuvres d’autres auteurs. Peu nombreux dans le livre I, nous les avons exclus. Dans ce livre II, cette suppression aurait réduit celui-ci à quelques pièces.

## CASPARI FURSTENBERGII, AVI, GENIUS AULICUS.

C2_1

"Molliculae procul este aures, nudi procul este
osores veri. Sincero ludere Phoebus
noster amat versu. Num celsa palatia pandam
naribus, et Vatis Venusini digna lucerna ?
Sic juvat Aonides : sed quid non cognita vobis
aggredior ? Vestro stat virtus ardua colle
difficili per saxa via temptanda, neque illi
fas est, aut vobis Regum sublimia tecta,
auratasque subire fores. Helicona rigentem
frigore, et hirsutas habitatis Apollinis arces.
Saecula nostra novis, nova nostris moribus aetas
imperat alternis. Laus est ad tempora mentem
vertere, et ad Zephyros diducere vela secundos.
Ut solet adverso volucris Junonia Phoebo
gemmea laudatae jactare volumina caudae.
In vetulos non sic ritus modo stringimur. Absit.
Arbitrii tibi jura tui ; metamque nefas est
Sejano monstrare Jovis Salmonea telo
dejectum, currus ausum simulare tonantes.
Consiliumne foris ? Vereor ne Numine vatum

destituar. Justas praepostera facta querelas,
numina rara cient. Verum si Persius atro
carmine vesanos potuit ridere Quirites.
Anne ego ? Sic quamvis non humectata fluentis
labra Caballinis madeant. Solum mihi splenem
cogit in effusos bilis commota cachinnos.
Anne ego ? Si laevo bullatas lumine pompas
observo, dextrum fatear, vel carmine prodam ?
Scilicet Heroum fulva Rex Lydus in aula
degit : at in quantum magno clamore Solona
fumantem ante rogum testatus, atrocia Cyri
imperia exorat, sortem miserantis acerbam.
Albane ? Tanta duces deceant ? Post terga relictos
vivere conveniat secum ? Depasta supellex
aurea, detritae chlamydes, et murice multo
quae rubuit toga pota prius, nunc mille fenestris
lucet, et incurvo debet ludibria naso.
Non genus antiquum Priami, nec nomina longa
paupertatis onus tolerant, naturaque suadet
consona Sisyphios Irum sensisse lacertos.
Quo vocat ergo manus dives mercator, eamus :
dona coacta dabit vix institor hiscere contra
raptores ausus dominorum exempla secutos.
Si neque sufficient angustis talia rebus,
auxilio Cluvennus erit, qui praefuit olim
militiae, tacitoque aeraria bellica furto
diminuit, cujus prope mortem causa laborat.
Illi reddet opes, illi dabit Alpha salutis,
et Themis in trutina suspendet nostra favorem,
servatis ungenda bonis. Sic vivimus aulae
turba, Syracosii jurati in verba Tyranni.
Post Catilina sumus. Turpem manet anxia culpam
poena, sed in tanto discrimine cornea fibra est.
An sileam ? Sine fine dapes petit aula calentes
sole peregrino, et Baccho devota parenti
assiduis festiva scyphis Dionysia vivit.
Cum jam tecta recens pingit Tithonia, lex est
non prius, aethereum quam transiit alta lacunar
Cynthia, et extenso glutiti pondere clunis
ventriculus veniam poscit, secedere : pulchros
dant ea fana jocos, vario clamore modoque
ebria dispositum mensae gyrantur in orbem
pocula, gustatas quae reddunt frontibus uvas,
et Centaureo turgentia cornua fastu.
Tantane, sic agimus, nobis pater otia fecit ?
Sint procul a nobis Curii, qui talia damnant
orgia, potantem nec amant examen ad unguem.
Quam pulchrum est digito monstrari et dicier ? Hic est,
qui meruit primam Bacchi certamine palmam
gemmatum cratera, scyphisque capacibus omnes
vicit, et epoto donatur Saxonis auro.
Victor at ille jacet vino somnoque sepultus,
multa canat quamvis tubicen, mediamque per urbem
spectandum lectica vehat. Cras uritur intus,
et dolet obscura male caligantia nocte
lumina fuscari, totosque labascere sensus.
Tendis ad exitium. Micta speculatur in unda
Hippocrates, crasso qui internos augurat aestus

aspectu, et longos consuevit prodere morbos.
Hic tibi, Phoebe, datur sanie confectus inerti
pulmonem, et lenta vitiatus tabe medullas.
Nunc Epicureo spectemus de grege porcum,
a summa qui venit hara. Jam proximus Orco
extremam trahit ille animam. Num crastina vitae
tempora dant tristes admoto pollice Divae ?
Sic vixisse juvat, ne nos vixisse propinqua
paeniteat meta, sapimus jam funeris hora
vicina, laniantque ream sua crimina mentem.
Hoc Mausoleo tegitur, qui Principis aulae
praefuit arcanis, et juris in arte peritus
mysta refingendi, prudens, facundus, et alta
nobilitate satus, rerumque politus ab usu,
consiliis magnos inter consedit Achivos.
Nulla fit hic fidei, sanctae pietatis, et aequi
mentio, quae dudum fugere Palatia Regum,
inque locum rediere nefas, simulatio, technae,
ambitus, impietas, livor, gula, crapula, fastus.
Cernis ut ingenti felix programmate nigro
scribitur in tumulo ? Nulla qui parte beatus
noverat hic turbae securos ducere soles.
Parcius ista viros tangunt. Tu summa potestas
turpis in exemplum ne fabula Sardanapali
prospice devenias. Facti prudentia sera
gaudia rara feret. Sed quam ferale minatur
aspera frons rugis ? Perit uno gratia verbo
vitrea, et aeternas pro munere commodat iras.
Dum mea felices implebant carbasa venti,
sceptra potente manu torquebam, et Principis Atlas
alter eram, si forte graves dabat altera curas
cura parens, nostras nutu spectabat erili
clitellas, tacitum vectans sine pondere pondus.
Quid non sustinui secreto Principis usus
pectore ? Perque nives gelidas et cruda vagatus
frigora, Sarmaticas potui calcare pruinas,
ire per exustam Libyen latrantibus astris,
aequoraque insano ridere tumentia fluctu.
Nunc miser, ut gravius ruerem, sublatus in altum
Icarus, ob verum media sublimis ab arce
turbor, et in nostros quae concessere favores
fortunae subita recidunt commota ruina.
Regia quae magno patuit, nunc cardine moto
ivit in amplexus unitis janua suris.
Non ego credideram, si quando odiosa Lycaei
murmura, barbatos inter diffusa magistros,
ingenuis aulas vetuere : at credere fas est
experto, sit vita tibi nisi dulcis amator.
Ah ruit irato metuendum fulmen ab axe,
post densae veniunt altis ex montibus umbrae."
Dixit et, ecce minor nostras qui nuper habenas
audiit, imperii nunc fascibus assidet. Eheu
quis superi ! dolor est, et quae dementia nostro
sic aliis sapuisse malo. Num audire gementem
plura libet ? Dicam ejecta tibi vera saliva.
Pro voto tibi cuncta fluunt. Fortuna petitam
invidiam legat. Miser est, cui nomina desunt
obvia livori, titulisque impleta superbis

charta capax. Viden ? ut vicinam figulus ollam
carpat, et extracta pungantur pauper arista ?
Quando Giganteo surgunt tibi vertice cristae
altius, exuviisque Tyri, pictusque superbo
murice, ventoso titulorum folle tumescis,
fervidus Herculeas ultra contendere Gades.
Insidiis odioque peris, et pone secutus
livor, iners vitium, vestigia prensat euntis
tramite praecipiti, velut umbra pedissequa solis
flammivolos sectatur equos, profugumque colonum
Niliaco crocodilus agro. Tunc ergo dolosa
fronte fidem simulat, pectusque ostendit amicum,
sed coquit exitium. Media latet anguis in herba ;
mente nigra, vapidoque sinu vulpecula gannit.
Virtutis quoque praeco tuae speciosus, honorum
ludit in ampullis, et sesquipedalia verba
eliquat. Interea occulto mala vipera morsu
te necat absentem, moresque arrodit inique.
Tunc ait : "O quanto discrimine, Maxime Princeps,
consortem regni pateris, qui despicit omnes,
omnibus imperitat, tibi majestate secundus
anne volet regnare diu ? Nec sceptra lacesset,
aut sibi quaeret ebur soli ? Metuenda potestas
in tantas quae crevit opes. Exempla loquuntur
publica, nec geminos patiuntur sidera soles,
cur habeat regalis apex ? Cum cornua fratri
aemula complevit Latonia, rursus adempto
lumine decrescit ; quae vertice pulsat Olympum
malus, ubi gravidis commisit pondera ramis,
qua surrexit humo, rursum curvata propinquat,
autumno portando impar. His concita flabris
suspicio tacitos sub pectore ventilat ignes.
Nec mora conceptis animata incendia flammis
exundant, ruit immisso violentia freno,
ut Themin oblitus trutinantem e cortice nigro
calculus exsiliat. Facilis suadela paratur
credenti. Vana est surdo defensio sensu.
Desine corda Ducum flecti sperare precando.
Hoc tamen ulterius digno praecordia motu
miscet, et infida vultum detorquet ab aula.
Spicula saepe novo trabeatos sanguinis ostro
foedatura Duces, et saeva exempla tyranni
suadet in innocuos, ac mille Calumnia clades
virtuti demens, hostiliaque arma minatur.
Scilicet aequales merito penduntur honores,
horrida cum maesto ponuntur fercula talo,
carcere clauduntur nati, tu carcere nati
clauderis, et servo trahis aenea vincula collo.
Ergo age sis, si non exemplo cautior uno
redderis, an gemino volupe est condiscere facto
carnificem Regem, victriciaque arma secutum
Graiorum ? Pro rupta fides et foedera Teucris !
Infandis Polydore modis, ob fulva metalli
pondera depositi scelerato in litore funus
obtruncate jaces. Nunc temet consule, quonam
consenuisse loco malis. Minor anne voluptas
privatas habitare casas, quam marmore fultam
invito Jovis igne domum : tibi vivere toti

quam pingues lauto digitos suxisse catino,
dum caput appensum vereatur desuper ensem ?
Si te ducit adhuc aulae tamen ulla cupido,
simius esse velis, scaenamque paratus in omnem :
si gemit ille gemas, ride si ridet, et esto
principe cum claudo Scazon, et Vespasiano
stabis stante, licet doleas pede claudus utroque.
Haec doctus parasita, cave cane pejus et angue
Principis imperio, cupidisque obsistere votis ;
concilio nedum medio vestigia veri
sectaris, rectique vias, post funera Clitum
te querar, aut Senecam. Quoties heu ! nantibus aulae
aequore in ambiguo, fuit una Malaea, tenaci
obloquio turbasse Duces, meditata tueri
est quibus ingenium, et stat pro ratione voluntas,
et summum est tolerare sales, nec velle videri,
quos si dissimulas animi est sententia prudens.
O si quid doctae servas penetralibus artis
unguibus arrosis dignum, vigilesque lucernas,
et Demosthenei redolens palloris olivum.
Si te delectat numeris divina Poesis,
quae beat, et vulgo secernit, et ornat amantem,
non vilis quondam, cum carmine digna gerebant,
tutius occulto poteris gaudere cachinno.
Illa feres donec prorepseris altius, et post
quidquid agis, prudenter ages, licet advena pecces.
Si quid ego statuam, quaeris, cum vate paratos
Isacio capiamne cibos ? Magis illa saginant
fercula, praecelsa quam quae mittuntur ab Olla.

## EJUSDEM PRAECEPTA VITAE AULICAE

C2_2

Aulai ter et amplius beatam
audi quae faciant, amice, vitam.
Primum mente pia Deum timere
par est, postea Principem vereri :
jussus consule justa, veritati
prudens simplicitas comes nec absit,
sic non Achitophel notam mereris.
Et mandata tuere diligenter.
Si praesens tibi sors favet, futurum
hunc ne perpetuum puta favorem.
Constat Principibus parum voluntas.
Rarum fac Jonathan mali levamen
fidum consiliis adesse testem.
Cliti, et Tantalei memor laboris,
fauces innocuo doma lupato.
Nescit dicere, qui tacere nescit.
Non noscenda tibi, nec illa noscas.
Sic Actaeoniis vacas periclis.
Hosti nubilus, invido serenus,
fidus fac Pylades sies Orestae,
adversis animosus, et secundis,
aequa tempora dividens statera.
Aulam non secus ac focum frequenta,
vicinus satis, et satis remotus.
Addas his epigramma Martialis,

quod sis esse velis, nihilque malis.

EJUSDEM MONITUM ADAMICUM.

C2_3
Fide Deo, tua cautus agas, aliena relinquas,
dissimules, et, sunt siqua ferenda, feras.
Tela venenatae non cures invida linguae,
tuque tuam rege, dic pauca, tacenda tace.
Sic placidos curret facilis tibi vita per annos,
et dabit oranti fata benigna Deus.

ARCUS TRIUMPHALIS
ECTYPON REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO D.THEODORO PADERBORNENSIS
ECCLESIAE EPISCOPO S. R. IMPERII PRINCIPI.
IN VESTIBULO ACADEMIAE THEODORIANAE ERECTI,
CUM POETICA LEMMATUM ET EMBLEMATUM EXEGESI.
AUCTORE FRIDERICO RÖRIGH E SOCIETATE JESU. DEDICATIO.

C2_4
Furstenbergiadum genus alto a sanguine princeps,
Qui magni donum diceris esque Dei.
Si vel jussa novos hominum sibi sumere vultus
parerent scalpro marmora dura meo ;
signa vel e nostris nascantur aenea formis :
vel nostro rasum pollice vivat ebur :
jam pridem Ausoniis non impar arcubus arcus
alta triumphali fornice saxa premat,
quem super emineat rutilanti discolor auro
inter purpureas crux veneranda Trabes,
ceteraque in numerum vario spectanda colore
Furstenbergiacae stemmata prisca domus.
Cum quibus arguto certans emblemate sculptor
caelaret Phariis mystica sensa notis ;
in quis virtutesque tuas, atque incluta facta
postera venturo tempore saecla legant,
quae nunc immensum vulgavit fama per orbem,
qua rubet exoriens emoriensque dies.
Sed neque dura meo mansuescunt marmora scalpro,
nec spirant nostris aenea signa focis ;
et mea tam magnis fortuna paratibus impar
me prohibet studio morigerare meo.
Nec tamen idcirco metuo, mitissime Princeps,
ne tuus haec spernat qualiacumque favor.
Nempe ubi destituunt conantem grandia vires,
conatus merito non caret ipse suo.
Nam si dura meo non parent marmora scalpro,
at parent calamo mollia verba meo.
Non possum lapides, sed possum sculpere versus ;
aeraque si nequeo, fundere metra queo.
Ergo sed incultis male structum versibus arcum
sacravit famae nostra Thalia tuae.
Perlege, si tanti est, Patriae Pater, optime Princeps,
qua mea jam pridem carmina fronte soles.
Materies tua gesta mihi, tua gratia merces,
et virtus color, et gloria lumen erit.

## INSCRIPTIO.
## PRINCIPI THEODORO A DEO ELECTO ANTISTITI PADERBORNENSI.

C2_5
Quod genus illustri Heroum de sanguine ducis
et fulges priscis clarus imaginibus ;
illa quidem certe laus est non infima, verbum
est ea laus Atavis debita tota tuis.
Quod multos opibus, multos quod honoribus anteis :
esse haec fortunae munera vulgus ait.
Quod tibi mens longa viget illibata senecta
cum referant puras tempora cana nives,
blandaque facundo Majestas ridet in ore :
scis a Natura talia dona dari ;
sed quod te nec opes, nec honores, nec genus inflant,
quod potius generis Tu genus ipse tui es,
et potes ipse tuis praeferre Minoribus illam,
quam tibi Majores antetulere facem,
haec tua laus tota, haec laus est tibi propria, Princeps,
laus cum supremo non moritura die.

## EMBLEMA. I.

### VERA FIDES. SOL UNICUS ORBEM UNIVERSUM IRRADIANS.

C2_6
Te pollere fide, Princeps, fidissime certum est,
quando tuae Fidei res facit ipsa Fidem.
Nam si facta Fidem Fidei concordia produnt,
ni tua vera Fides, sit mihi nulla Fides.
Ergo tuae Fidei Fidei bene credita cura est,
quae Fidei fidam praestitit usque Fidem.
Mille Fides hodie, Fidei discrimina mille :
totque Fides inter vix tamen ulla Fides.
Plus Fidei a Domino poscebat Apostolus olim.
Ah Fidei in nostro si foret orbe minus !
Ut, velut in toto lucet Sol unicus orbe,
unica sic toto luceat orbe Fides.

## EMBLEMA. II.

### DOCTRINA SALUTARIS. CAELUM SIDERIBUS VARIEGATUM.

C2_7
Qualia nocturno palantia sidera caelo
ducunt noctivagas per freta caeca rates ;
sic, Theodore, tuis, ad caeli lucida templa
aut verbis monstras, aut teris ipse viam.
Tu sacras aperisque scholas, aperisque profanas,
inscia tu nostra pectora voce doces.
Cum tenet astantem Cathedralis contio turbam,
ipse tuam nostra suppleo voce vicem.
Tu teneris animis pietatis semina mandas,
et verae fidei non sinis esse rudes.
Alloquio maestos, opera solaris egentes,
auxilio miseros consilioque juvas.
Tu cunctabundos stimulis non mollibus urges,
tu pigros lento non sinis ire gradu.

Tu male discordes concordi foedere jungis,
   per te composita jurgia pace silent.
Quae licet et nostro fatear patrate labore,
   sunt tamen auspiciis cuncta patrata tuis.
Nam quodcumque facis studiove operave tuorum,
   hoc vere, quamvis non facis ipse, facis.
Jure tuis igitur sidus laetabile fulges,
   sive gerenda doces, sive docenda geris.
Jure inter reliquas, caelestia lumina, stellas
   aeterno rutilans tempore sidus eris.

## EMBLEMA III.

### MODESTIA ANIMI DE SE SUMMISSE SENTIENTIS.

C2_8

Magnum est si magnus magnum se nesciat esse,
   et se vix minimis judicet esse parem :
si de se sileat, totus quem praedicat orbis,
   quemque nisi ingratus, nemo silere potest.
Si, quae magna geris, soli tibi parva videntur,
   extenues verbis si tua facta tuis.
Si laudem fugiens praestes dignissima laude,
   si veniam, grates cum mereare, roges.
Cumque omnes vincas, vel certe aequaveris omnes,
   judicio cunctis sis minor ipse tuo.
Improba si stolidi spernas arbitria vulgi,
   contentus soli gesta probare Deo.
Nulla, nisi in caelis, meritorum praemia speres,
   et populi spectes commoda sola tui.
Hoc magnum est, inquam, pulchrum, mirabile, rarum ;
   et tamen hoc magnum, tu, Theodore, facis.

## EMBLEMA IV

### MISERICORDIA IN PAUPERES.
### AGRICOLA SEMENTEM FACIENS CUM INSCRIPTIONE, ‘PERDENDO RESERVO’.

C2_9

Condita nocturni spoliant aeraria fures,
   absorbet gravidas mercibus unda rates.
Improbus abjurat totam cum fenore sortem,
   remque simul perdit debitor atque fidem.
Vinea sperantis frustratur vota coloni,
   credita vix mendax semina reddit ager.
Quae modo finitimas tangunt palatia nubes,
   bellicus in cineres vertere turbo potest.
Stipatam tineae populant in scrinia vestem,
   textaque Maeonia nobilitata manu.
Urit congestas Vulcanus in horrea messes,
   tam multis possunt parta perire modis.
Hoc solum in tuto est, quicquid donatur egenis.
   Quas istis dederis semper habebis opes.

## EMBLEMA V.

### LIBERALIS PARSIMONIA.

C2_10 Non a Memnoniis aurum tibi navigat Indis,
non ab Erythraeis eruta baca vadis ;
nec pia frugiparae rimatus viscera matris
decolor effossas congerit Astur opes.
Non te Pactolus, rutilis non fluctibus Hermus,
fulva nec auriferi ditat harena Tagi.
Non tua longinquas adeunt commercia gentes,
non gravidae sulcant aequora vasta rates.
Non tua privatis crescunt aeraria damnis,
non praedas sub te Principe fiscus agit.
Non tibi vexati, rurestris turba, coloni
contribuunt lacrimis aera rigata suis.
Non tibi subsidii specioso nomine tectam
congerit, ut mos est, patria jussa stipem.
Haec quoque, quam placida Princeps ditione gubernas,
haud sane immodicis finibus ora patet ;
et tamen in tantos Tua res tibi sufficit usus,
et re non magna, maxima quaeque geris :
aedificas, renovas, emis, auges, instruis, ornas,
templa, aras, arces, praedia, rura, domos.
Nomina dissolvis, fundas Collegia, sacris
debitus aere tuo conciliatur honor ;
impensis erecta tuis Academia surgit,
surgit honoratae fabrica celsa scholae ;
altare e Phario constructum marmore candet,
candent artifici signa polita manu.
Quid memorem veterum scripta immortalia Patrum
nostra quibus floret Bibliotheca libros ?
Quaeque piis avidas mulcent concentibus aures,
per tot inaequales organa structa tubos ?
Quae quoties sonuere, tuas, Theodore, Deique
flexanimo laudes dulciter ore canunt.
Nemo tibi donat, nemo non accipit a te ;
tu nulli, et debet patria tota tibi :
quis rogo te, Princeps, Fortunae rivus inaurat ?
Quae tibi inexhaustas gaza perennat opes ?
Magnum est vectigal parvo frugaliter uti,
sumptibus et justum praestituisse modum.
Nec modico pennas majores tendere nido,
Nec proprii modulum dememinisse pedis.
Hoc virtutis opus sit ; multis sic dare multa ;
ut multa a multis poscere non sit opus.
Observat prudens hanc munificentia legem :
ne quod dat meritis, auferat immeritis.

## EMBLEMA VI.

### CLEMENTIA IN VICTOS.

C2_11 Roma quod innumeris peperit sibi Martia bellis,
sive ea gesta solo, sive ea gesta salo :
parcere subjectis, et debellare superbos,
symbolon asciscas hoc Tibi jure licet.

Supplicibus parcis, frangit tua dextra superbos,
quam pia dextra bonis, tam metuenda malis.
Extorsit justum, non justa rebellio, bellum ;
justa sed invita corripis arma manu.
Utque salutiferis fiden Podalirius herbis,
facta recens blanda vulnera mulcet ope :
ast ubi vicinos coepit gangraena per artus
spargere letiferi semina caeca mali,
saevitia miti, clementi percitus ira
utiliter ferro saevit, et igne furit.
Lanea sic lento vibrans vestigia passu
non nisi post longas surgis in arma minas ;
tum quoque (sed frustra) testans hominesque Deumque
ad veniam patulas sontibus esse fores.
Nec cunctata diu dubiis Victoria pennis
ancipiti traxit proelia lenta mora.
Nimirum stolidos solitus contundere fastus
pugnavit causa pro meliore Deus.
Hic tua victricem clementia temperat iram,
exuis in victos arma odiumque simul.
Prima dies bellum, belli dedit altera finem,
nec tua quam bellum longior ira fuit.
O quantum est rapidi successu Martis ovantem
vindictae cupidas abstinuisse manus !
Quam grave anhelantes animi compescere motus,
quem dolor admota torret utrimque face !
Vertit enim in saevum patientia laesa furorem,
et quae tarda venit, fortius ira premit.
Tu quasi non hosti sed bellum indixeris irae,
sic illum victor protegis, hancque premis.
Justitia eduxit gladium, Prudentia rexit,
condidit actutum spicula pacis amor.
Stringere, Magnanimi ; Clementis, ponere ferrum ;
civibus afflictis parcere, Patris erat.
Ergo armis victusque tuis virtutibus hostis
te simul est Dominum fassus, et esse Patrem.
Quo quisque est major, magis exorabilis ira est,
et fovet offensas mens generosa breves.
Corpora transiliunt animosi strata leones,
pugnaque dejecto protinus hoste jacet.
Ast imbelle genus crabronum ignava propago,
et laesae furiis immoriuntur apes.
Res rara est, justum bellum et victoria clemens :
res est rara quidem, sed, Theodore, tua est.
Nam tua vel victo victoria profuit hosti,
et nocuit soli (si tamen) ista sibi.
Sed, puto, non nocuit ; quae te frenare rebelles,
atque animum docuit posse domare tuum.
Tam gravis exiguo compressa est sanguine flamma,
huic quoque parsurus, si licuisset, eras.
Sed tam crudele est cunctis, quam parcere nulli,
et saeva est pietas, quae miserendo nocet.
Jure igitur duplex circum tua tempora frondet
bellica pacatae juncta corona mitrae.
Hostibus haec domitis, servatis civibus illa,
pulchrius illa viret, blandius ista nitet.
Illam Astraea tibi, Clementia texuit istam,
Phoebeis illa e frondibus, ista Jovis.

Ista Sacerdotem decet, et decet illa Dynastam,
civibus haec Amor est, hostibus illa Timor.
Crede mihi magnos superant haec gesta triumphos,
laudibus haec quondam postera saecla ferent.
Scilicet una homines aequat Clementia Divis,
hinc Deus esse homini dicitur alter homo.

## EMBLEMA VII.

### SOL IN HOROLOGIO SCIOTERICO DUODECIMAM LINEAM TANGENS, CUM LEMMATE, ALTIOR, INVIDIAQUE MAJOR.

C2_12

Nulla dies umquam tam laeto sole refulsit,
quin fuerit clari luminis umbra comes,
nullaque tam magno surrexit gloria plausu,
invidiae ut saevo libera dente foret.
Sol tamen ut minimas altissimus efficit umbras ;
sic minus invidiae gloria summa patet.

## EMBLEMA VIII.

### IGNIS UNDIQUE FUMO OBSESSUS CUM SCITO REVERENDISSIMI ET ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS, JUDICIUM MELIUS POSTERITATIS ERIT.

C2_13

Aspice ut obsessis densis ramalibus ignis,
dum sensim vires colligit ipse suas,
obscuros nigra subtexat nube penates,
altaque fumosos volvat ad astra globos.
Exspecta : mox discussa caligine, victrix
crispabit tremulas flamma corusca comas.
Sic nam nascentis solet incunabula Famae
Livor iners nebulis obtenebrare suis.
At tua jam geminos virtus penetravit ad axes,
et clarum toto sparsit in orbe jubar.
Quamvis Cimmeria livor tegat omnia nocte ;
luminibus tamen haud obstruet illa tuis.
Si tamen Invidiae praesentia tempora sordent :
"Judicium melius posteritatis erit."

## EIUSDEM ELEGIA,

### QUA REVERENDISSIMO, ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI, THEODORO, PRAESULI VIGILANTISSIMO, DOMINO CLEMENTISSIMO, VINDICI FORTISSIMO, PATRI PATRIAE

C2_14

Care Pater Patriae (sit enim fas nomine vero
sive tuum studium sive vocare meum),
jam dudum Oceano meritorum mersa tuorum,
et tam multimodis facta beata bonis,
gestio conceptis testari gaudia verbis,
quae memori pridem condita mente gero,
Utque pio meritas promam Tibi pectore grates,
ingenii totos explicuisse sinus :
postera ne saeclis olim labentibus aetas
arguat ingrati criminis esse ream,

sed simul ac dictura oculos attollere coepi,
   casta verecundus purpurat ora rubor,
mens hebet, ars haeret, refugit vox, ora gelantur,
   vincta repentino frigore lingua stupet.
Qualis in angustis luctans siphonibus humor
   festinando suum saepe moratur iter,
fervet in obstructis lymphae vis incita venis,
   egressumque sibi, dum petit, ipsa negat.
Perque artas magno nitens molimine fauces,
   unda sibi ipsa moram, non patiendo, facit.
Sic mihi densa seges, sic torrens undique laudum
   angustum vocis copia claudit iter.
Nam quae prima sequar tantarum exordia rerum ?
   Quod mihi principium, quis mihi finis erit ?
Anne quod errorum spissis erepta tenebris
   Relligio victrix tollit ad astra caput ?
Relligio liquidis quae caeli e fontibus hausta,
   sidera non dubia ducit ad alta via.
Lingua mihi intonuit Magni quam ferrea Karli,
   dum pia pro Christi numine bella gerit.
Indomitosque sacris compellit Saxonas armis
   Barbara caelesti subdere colla jugo.
Quam mihi inhumana profugus feritate Quiritum
   tertius, elingui tradidit ore, Leo.
Haeresis at dudum Stygiis prorupta cavernis
   impia in adversum sumpserat arma Deum.
Monstrum horrendum, informe, cui Ignorantia mater,
   et Fastus pater est, Seditioque soror,
Libertas nutrix, Rixae comitantur euntem.
   Jurgiaque evulsis sanguinolenta comis,
illius armigeri Fraudes, Mendacia, Technae,
   et sacris inhians foeda Rapina bonis.
His illa auxiliis, illa succincta phalange
   ausa erat aeterno bella movere Deo.
Hinc fera barbaries, ruptisque licentia frenis
   fas omne in vita miscueratque nefas.
Plebs miseranda sui Pastoris prodita fraude,
   errabat saevis obvia praeda lupis.
Nec soliti templis indicebantur honores,
   festaque desierant rite vetusta coli.
Calcabat sanctas victrix audacia leges,
   jura dabat caecus pro ratione furor.
Verum ubi Te votis hominum expugnata piorum
   admorunt sacrae fata benigna Mitrae,
Cana Fides rediit, rediit Pietasque, Pudorque,
   et male neglectis debita cura sacris,
ornatus templis, dignatio reddita mystis,
   moribus integritas, legibus obsequium.
Ad sua palantes revocatae signa Kalendae,
   certior ut sacrum curreret annus iter.
Impia Libertas rigidis compressa lupatis,
   praemia fas, dirum est poena secuta nefas.
Ferrea inaurescens studiis melioribus aetas
   Falcigeri retulit tempora prisca senis.
Atque, ut ubi rosei tenerum jubar exserit oris,
   et sola lucifluo terrea fonte rigat,
humida decedunt venienti nubila Phoebo,
   complicat et furvos nox inamoena sinus,

monstraque per caecas impune vagata tenebras
cogit in assuetos lux rediviva specus :
haud aliter simul ac Tu Relligionis avitae
aethereum celsa promis ab arce facem,
concita diffugiunt bipedum portenta luporum
sive tuo gladio territa, sive pedo.
Hic se praecipiti deturbat ab aggere saltu,
et pavidus, nullo terga premente, fugit.
Ille parum pedibus tanto in discrimine fidens
lassa per obstantes bracchia jactat aquas.
Thesea magnanimum plenis veneratur acerris
Attica probroso libera terra jugo,
qui Labyrintheos ausus penetrare recessus
semivirum forti perculit ense bovem.
Ast ego, funestis, Te Vindice, libera monstris,
aegiden veneror Te, Theodore, meum.
Te primum rabiem caulis arcente lupinam
desinit innocui carnificina gregis.
Tu sparsos artus laceri conquiris ovilis,
tu per tesqua vagas devia cogis oves.
Pascua Tu monstras riguis laetissima lymphis,
hic ubi perpetuo gramine vernat humus.
Tu rapidos aestus viridi defendis in umbra,
torrida siderei dum furit ira canis.
Tu mala Paeoniis cohibes contagia succis,
saucia Tu medica corpora mergis aqua.
Nec pudor est aegram manibus tractasse bidentem,
nec collum fessae supposuisse pudor.
Nempe ille ante oculos Pastor Tibi semper oberrat,
qui propria caras carne saginat oves.
Illa Tibi vacuam crebro vox personat aurem,
et numquam oblito labitur ex animo :
si quis amor nostri memori tibi pectore flagrat,
hunc pascendo meos exsere, Petre, greges.
Ergo dum stabili fundata Ecclesia rupe
ridebit Stygias non labefacta minas.
Dum Christi assertus Numen venerabitur Orbis,
dum quis erit verae relligionis honos.
Haereseon hostem, Fidei, Theodore, Patronum
te canet aeterna posthuma fama tuba.
Haec tua inoccidua florebit gloria laude
clara futura solo, clara futura polo.
Longaevamne canam per terna decennia Pacem
copia quam cornu divite larga beat ?
Haud procul hinc ferro Mavors bacchatur et igni,
nulla mihi somnos classica pulsa fugant.
Squalent finitimi foedis populatibus agri :
me tamen in dulci Pax fovet alma sinu.
Flava Ceres fortes cogens ad signa colonos
militia ferrum distinet omne sua.
Densa per incanas caedes grassatur aristas,
prataque graminea florida strage natant.
Casside in emerita molitur aranea casses,
frugiferam placidus vulnerat ensis humum.
Splendent attriti glaeba stridente ligones,
Martiaque in tenebris exedit arma situs.
Neve quies ullo violetur publica motu
Justitia exserto pervigil ense cavet.

Latrones procul hinc, procul hinc vos tollite fures,
et quisquis rapto vivere dulce putat.
Nil vobis, moneo, Theodoro Principe, tuti est :
in vos mansuetas non habet ille manus.
Ille mei ad clipeum qui Principis excubat ensis,
sontibus exitio est, praesidioque probis.
Nec vos vel precibus, pretio vel fidite, culpam
strenua non tardo mox pede poena premet.
Hoc vetera, hoc vobis monumenta recentia narrant,
quae passim medio plurima rure patent.
Pendula ab arboribus, radiisque implexa rotarum,
debita carnivoris corpora vulturibus.
At si quis tardas monitis adverterit aures,
sentiet illa suo vera fuisse malo.
Testis Beca Nova est, tuus est Benhusia testis
nunc quoque praedonum sanguine pinguis ager.
Cum grassatorum florentes aere catervas
lux improvisae dedidit una neci.
Ipse adeo e caelo sumptis Vincentius armis
tam pia praesenti proelia juvit ope.
Ille et lymphatos egit terroribus hostes,
et rexit nostra spicula missa manu.
Mutant fata vices, et amico Numine, praeda,
qui praedaturus venerat, ipse fuit.
Plurima victrici sternuntur corpora ferro,
plurima Justitiae victima caesa litat.
Impia pullati duxerunt funera corvi,
et saturi lessum concinuere canes.
Nunc quoque transversim cerealibus obvia sulcis
saepius agricolas ossa morantur equos.
Inde tibi, Princeps, plaudunt Urbesque, viaeque,
ruraque, quod saevo cuncta timore vacent.
Te canit intrepida nocturnus voce viator,
obscurum tuto cum pede carpit iter.
Te recinens patula pastor resupinus in umbra
securas longo carmine mulcet oves.
Te canit in molli projectus gramine messor
ad vitreas Paderae lene fluentis aquas.
Ergo iterum pacis Pax aurea suscitat artes,
et redit ad solitos musica turba choros.
Ergo iterum, Phoebo restim ducente, Camenae
ad numerum saliunt, ad numerumque canunt.
Westphala Pierias pubes operatur ad aras
et litat, Aonio vota probante Deo.
Quae modo singultim parco lacrimaverat imbri,
nunc fremit immenso Castalis unda lacu.
Tu, Princeps, Cirrhae longaeva silentia rumpis,
ne seneant tacito squalida plectra situ.
Invia Tu nobis Heliconis tesqua recludis,
culmina tu facilem sternis ad alta gradum.
Tu pridem exsulibus, Maecenas optime, Musis
Principe magnificam condis in urbe domum.
Tu primum Sophico palmam proponis agoni,
cingat ut emeritum laurea serta caput.
Per te, quo stimulet Virtutis amantia corda,
nobilis ingenuum gloria calcar habet.
Tu vastum ingeniis aperis felicibus aequor,
tota ubi dent placidis vela ferenda Notis.

Per Te Naturae caecos temptare recessus,
et licet ignaras lucis inire vias.
Quaenam caelestes aeternet regula cursus,
an supera assiduo templa canore sonent.
An vaga nocturnis discurrant astra choreis,
an sistant moto sidera fixa polo.
Quam variae caeli cingant praecordia zonae,
et sua quo ventos ubere mater alat.
Anne Cytainis pudefiat Cynthia rhombis,
queisve sui maculis inquinet orbis ebur.
Cur salsos pelagus fluctus, cur flumina dulces,
perpetuas fontes ejaculentur aquas.
Aut quis, ne infestis terras superobruat undis,
temperet undosi caerula frena maris.
Cur gravis excussis immugiat ignibus aether,
mixtave cum liquido sanguine saxa pluat.
Aut quae perpetuent Aetnaeas pabula flammas,
quidve flagrans rutilo crine cometa vehat.
Quid quod et arcanae penetralia Theiologiae
auspiciis, Princeps, sunt reserata tuis ?
Quid quod Westphalicas duce Te remeavit in oras
sancta Palaestino cognita lingua Syro ?
Et sacra divinis intexta oracula libris
dulcius ex ipso promere fonte licet ?
Quid memorem celsis spectandas turribus arces,
et tantum Domino tecta minora suo ?
Ornamenta olim pacis, munimina belli,
sumptibus ad caelum surgere jussa tuis,
hinc Nova deterso veteris squalore senectae
jamque suo demum nomine digna Domus ;
regalem tectis immanibus explicat aulam
laxaque formosis atria poricibus.
Quas circum, virides ventis crispantibus undas ;
plaudit lascivis squamea turba choris.
Flora favet, favet attiguis Pomona viretis,
certatimque suas utraque promit opes.
Utraque certatim vernantes divitat hortos,
floribus illa suis, fructibus ista suis.
Inde Wevelsburgi solido domus ardua saxo
nubila sublimi culmine celsa ferit.
Haec olim a priscis (famae si credimus) Hunnis
post varios Dominum Te sibi legit heros,
nunc te digna domus, sed erant magalia nuper
paene ruinoso semisepulta situ.
Circum Chaoniae texunt umbracula quercus,
silvaque vicinas occulit alta feras.
Quasque sub hospitiis celat frondentibus arbos,
plurima lascivo gutture vernat avis.
Nam quid Collegi sacras venerabilis aedes
Templaque sublimi conspicienda tholo ?
Quaeque statas numeris edis vocalibus horas
Niliacas Turris vincere digna Pharos ?
Tecta quid augusti memorem visenda Lycaei
et Patriae, et vero tecta dicata Deo ?
Hanc divina sibi legit Sapientia sedem,
incolit hos virtus Relligioque lares,
hic Sophici crebra celebrantur gymnade ludi,
doctaque quae nullo bella cruore madent.

Hic agiles poliunt ad bella forensia linguas,
hic salit a volucris fons pede factus equi.
Illic facundi splendent Demosthenis arma,
suadaque germano Cecropis ore sonat,
hic Juvenum ingenuas animi formantur ad artes,
hic facilis discit prima elementa puer,
quamque olim Patriae praestantibus approbet actis,
virtutem a teneris combibit unguiculis.
Hic Tua Palladii superastans limina Templi
a Polycletaea spirat imago manu.
Principe digna sacri majestas eminet oris,
ambit honoratas aurea mitra comas,
flexile Sarranum marmor rugatur in ostrum,
et trabea ex umero pendula utroque fluit.
Quaeque tibi vivo est, eadem quoque marmore sculptum
pascendi sequitur sedula cura gregis.
Nam manus una pedum praefert, manus altera librum,
ut regat illa pedo, quos docet ista libro.
Illam post multos aliquis venerabitur annos,
verbaque non siccis proferet ista genis :
"Fürstenbergiaca, Theodorus, origine Princeps,
(namque illum memini cernere) talis erat,
talis erat, neque multum a vivo abludit imago,
eheu quod fas sit dicere, talis erat !
Mente sagax, vultu facilis, cultuque modestus,
manabat comi multus ab ore lepos
tum quoque, cum seris natura fatisceret annis,
temporis antiqui gesta referre memor.
Pacis amans, rectique tenax, nec prodigus aeris,
et tamen in Patriae commoda largus erat.
Oderat immodicos fastus, sed et oderat astus,
non affectatae simplicitatis amans.
Moribus antiquis, cultor Pietatis avitae,
certus in antiqua relligione mori.
Non fuit impositis populo gravis ille tributis,
aula sed infletas sobria parsit opes.
Non sibi, sed Patriae genitum se credidit esse,
communemque suis civibus esse Patrem.
Nunc caelum colis, o caelo dignissime Princeps,
aspectu frueris nunc propiore Dei.
Cunctaque Lunai varium subjecta sub axem
despectas oculis inferiora tuis.
Virtuti imperium si par tibi fata dedissent,
tot meritis Orbis vix satis unus erat.
Virtuti si par aevum tibi fata dedissent,
saecula tot meritis vix satis ulla forent.
Sed nos indigni qui te frueremur eramus,
o semper magnis Livor inique viris !
Sic, nisi quae sero nobis erepta dolemus,
nos bona, fatali nostra stupore, latent.
At tua nunc pennis peragrat victricibus orbem
Gloria non ullo praemoritura die.
Et si quem vivo Livor subtraxit iniquus,
post obitum duplici fenore crescit honos.
Donec sidereis gemmascet floribus aether,
et peragent solitas noxque diesque vices,
dum mare consuetis repetent anfractibus amnes,
et dubio titulum posteritate feres.

Haec et plura tuae spectator imaginis olim
   non tacito, Princeps, verba dolore dabit.
Quo feror ? Unde abii ? Quae me via ? Quove reducet ?
   Quo ruis in vasto cumba minuta salo ?
Ante pererrato lucis pater aureus orbe
   frena fatigatis ignea demet equis,
singula quam memori liceat destringere versu
   condita vel sumptu, vel reparata tuo.
Tu me marmoream quondam, Theodore, relinques,
   testea quae mihi cum praeficereris eram.
Aurea Tu magni revehis mihi tempora Karli
   Caesaris Henrici tu benefacta refers.
In te Meinwerci pietas operosa revixit,
   tu verum Imadi Praesulis instar habes !
Ergo quod Henrico, Meinwerco, Karolo, Imado,
   debeo promeritis hoc Theodore tuis.

STRENA KALENDIS JANUARIIS ANNI M. DC. XVI.
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,
THEODORO EPISCOPO ET PRINCIPI PADERBORNENSI
GRATULATIO DE TRIBUS ANNORUM DECADIBUS...
PRIMA DECAS.

C2_15

O quicquid superas aevi dignissime Princeps,
   et semper Janos promeriture novos !
Ingreditur Divis novus ecce faventibus annus,
   et secum patriae spemque decusque vehit.
Annorum jam quarta decas te Principe nata,
   integrat imperii septima lustra tui.
Quotquot praeteriti pepererunt gaudia soles,
   exortu cumulat lux hodierna suo.
Nam quis erat populi plausus, quod ubique secundum
   murmur, et ominibus vota referta tuis !
Infula cum primum meritos amplexa capillos,
   virtuti statuit praemia digna tuae ?
Integra tunc primis vernabat floribus aetas,
   nullaque canities tinxerat alba comas ;
cana tamen vegeto fervebat pectore virtus,
   ultra quae canos vivere digna foret.
Quocirca votum populis erat omnibus unum,
   ut Tibi lustra Deus vivere multa daret.
Annuit Omnipotens, et, quae florentibus annis
   nactus eras, jussit sceptra tenere senem.
Nos, praeter canos ne quid vehat aegra senectus,
   sollicito Superis fundimus ore preces ;
ut semper viridi reparent tibi corpore vires,
   et semper remigret sanguis in ossa recens.
Sic aetas gravior juvenili fulta vigore,
   addat ad elapsos tempora longa dies.

ALTERA DECAS AB ANNO M. D. XCV. AD M. DC. V. PATRIA LIBERATA.

C2_16

Patria jam maestos per prima decennia vultus
   exuerat, veteri paene soluta malo.
Aggrederis Princeps vestigia tollere labis,
   neu super ulla mali sint monumenta, caves.

Agmina vicinis volitantia noxia campis,
audebant fines carpere Marte tuos :
cum tamen interea multus tibi creditor aurem
velleret, atque tuas sollicitaret opes.
Nec mora : dissolvis, cunctis plaudentibus, aera,
et non facta tuis nomina temporibus.
Quis non plaudisset sic commoda publica quaeri,
nullaque privatas laedere damna domos ?
Non etenim miseris violentia saeva colonis,
nec fallax auri te locupletat amor ;
sed fastus ignara domus, parvoque beata,
et parasitorum mensa perosa greges.
Quid referam patriis depulsos finibus hostes,
et data praedonum corpora vulturibus ?
Quid prope perculsam turbis civilibus urbem,
sub tua, damnata peste, redisse juga ?
Errorumne canam detractas mentibus hydras,
clausaque doctrinae templa profana novae ?
An positas Patribus sedes, et aperta Lycea,
crescat ubi studiis culta juventa bonis ?
His agis, ut pacem, vel turbatura salutem,
ne serus metuat montra videre nepos.
O felix, quemcumque tibi Deus annuit annum,
et qui te salvo gaudia Janus agit !
Quisquis enim patriae Theodorum reddidit annus,
quis neget hunc donum Numinis esse novum ?

TERTIA DECAS AB ANNO M. DC. V. AD XV. PATRIA ORNATA.

C2_17

Cum jam bis decies messis fudisset aristas,
et te bis decies Principe bruma nives ;
patria multiplici rerum defuncta periclo,
tot contenta notis dulcis amoris erat.
Cernebat geminas visendis turribus arces,
ipsi quae decori praesidioque forent.
Undique Relligio censu dotata perenni,
ibat in antiquum jam rediviva decus ;
praecipue Matrem pietas complexa Tonantis,
quaeque colit panis Numen in effigie :
muneribus quae compta tuis florentior ibat,
cum referunt pompas annua sacra pias.
Tunc omnis dulci Theodori nomine vicus
personat, et faustas jactat ad astra preces.
Haec olim perfecta dabas. Quis plura requirat ?
Est tamen, ille tuus quod superaddat amor.
Gymnasium pridem coetus formabat Iesu,
sed deerat subolem posceret unde novam.
His, veluti teneras possint ubi pangere stirpes,
uberis assignas pinguia culta soli.
Quid post haec agitas ? Nimirum, tota quod olim
Saxoniae tellus praedicet Hesperiae.
Omnis enim regio, quam Rheni hinc alluit amnis,
quam liquidis, alia parte, Visurgis aquis,
nullas, quae Sophiam colerent, numerabat Athenas.
Venibant alio sub Jove mentis opes.
Annuit Ausonio Praesul de culmine Paulus,
et dat Musaei condere jura novi.

O te ter felix Academia nata parente !
   Nata diu vivat, vive diuque, Parens.

## QUARTA DECAS AB ANNO M. DC. XVI. PATRIA FELICITATEM SPERANS.

C2_18
Jam sol ridenti solito formosior ore
   pandit purpureas ad nova saecla fores.
Egreditur nova lux, nova spes, nova Principis aetas,
   aureus ex alto temporis ordo redit.
Sic tua promeruit virtus, sic incluta facta,
   semper in illustri vivere digna die.
Et quoniam tenerae studiis servire Juventae,
   tot tibi prae curis, maxima cura fuit,
optamus, Deus ut de nostris detrahat annis,
   producat vitae stamen ut inde tuae.

## TUMULI PIIS PRAESULIS MANIBUS, CARIS PRINCIPIS EXUVIIS ERECTI.

### MAUSOLEUM.

C2_19
Nobile Mausolo struxit regina sepulcrum,
   laude quod immodica Cares in astra ferunt ;
utque vel absumpto carie, seniove pereso
   Mnemosyno, posset conjugis esse memor,
semicremata rogo mirantibus extulit umbris,
   expositoque oculis condidit ossa vitro ;
quin vitro effusas avido bibit ore favillas,
   posset amati aliquam partem ut habere viri.
Haec Regi Regina suo : quod amabo parenti
   Mnemosynon statuet Patria grata suo ?
Se tibi destituit : tua Filia, Mausoleum
   post obitum Princeps est Theodore tuum.
Non hic illa tibi, sed tu tibi surrigis ipsi,
   tu Mausolei conditor ipse tui es.
At quodnam adlambet bustum ? Quos hauriet artus
   ignibus ereptos ? Quem cinerem illa bibet ?
Non licet illatos adytis penetralibus artus,
   non licet egesta tollere corpus humo :
quin tumulo adspersos cineres legere ore veretur,
   et Manes metuit sollicitare pios.
Ne tamen uxori tua cedat filia Regis,
   ista viri cineres vult bibere, illa Patris.
Dum tua postgenitis transcribit facta loquenda,
   eripit ex avida Principis ossa pyra :
dum memori virtutem animo, moresque reponit,
   cernit in opposito Principis ossa vitro ;
dum grato benefacta sibi data pectore condit,
   haurit in aurato Principis ossa scypho.
Mausoleum ingens, omnique perennius aere,
   quod tanto statuit filia tanta patri !
Hic tibi communis functo bene munere patris,
   patri, dum vivet Patria, vivet Amor :
hic tibi supremi functo bene munere mystae,
   mystae, dum vivet Patria, vivet Honor.

PRAESULI OPTIME DE SE, DE UNIVERSO CLERO MERITO,
ADMODUM REVERENDUM ET PRAENOBILE CATHEDRALIS ECCLESIAE CAPITULUM.
EPITAPHIUM.

C2_20

Sanguine quo fueris, qua stirpis origine cretus
Trabs docet, et geminae penna jugata Trabi.
Munere quo fueris, quo pridem functus honore,
Crux docet, et geminae mitra jugata Cruci.
Quae pietas, loquitur Cidaris ; quae vita, Tiaras ;
quam facili Clerum rexeris arte, Pedum.
Solum internam opus est mentis proponere formam,
ne virtutum instar nobile fata premant.
Hanc utinam ad vivum posset rupi indere sculptor !
Pulchrius hoc nullum marmor in orbe foret.
Facta fidem superant, virtus encomia vincit,
nulli illam fas est ore vel aere loqui.
Hoc tantum, si quod templisque, arisque dedisti
jam repetas, et si creditor esse velis,
nil par impensis, meritis nil grandibus aequum,
tota dioecesis quod dare possit, habet.
Nos autem tua cura olim, dum vescimur aura,
dum ferient oculos marmora maesta pios ;
aeternum innocuas salvere jubebimus umbras,
et requieta levi membra valere solo.
Et ne venturis haec quisquam nesciat annis,
postgenitis volumus marmora muta loqui.

COLLEGIUM ET DOMUS PROBATIONIS SOCIETATIS JESU PADERBORN. FUNDATORI
PARENTI OPTIMO ET LIBERALISSIMO F.F.M.M.L.P.P.
CENOTAPHIUM.

C2_21

Non tibi sarcophagum, aut plenam componimus urnam,
exoptatum alibi tumba cadaver habet.
Hic solum lacrimis tumulum humectamus inanem,
et quia nil tui adest, nil nisi flere juvat.
Tu vivus Templumque, Domumque, Scholamque dedisti,
quod nostrum est, donum est, o Theodore, tuum.
Ista dabas vivens, obita quid morte relinques ?
Mortane munificam claudet avara manum ?
Quae tibi dilecti servabunt pignora nati,
patris ut haec, dicant, sunt monumenta mei ?
Cui dabis exanimes artus ? Cui dulce relinques
exuvium ? Cineres quae teget urna tuos ?
Omniane adscriptis transdes heredibus ossa ?
Nil nati poterunt patris habere sui ?
Non digitum antiquo fas est incidere ritu,
pallidave in molli colligere ossa sinu ?
Cor nobis utinam tantum licuisset humare !
Succensum nostri cor quod amore fuit.
Fecit id Henricus Franci incluta gloria regni,
Delphon ut erigeret Pindarus iste novam.
O quoties aliquis sacras aditurus ad aras
dixisset lacrimans : cor bene molle cuba.
Aut in Pyramidis cono felice locasset,
ut cor sublimis grande referret apex,
aut etiam ipse suo gestisset condere corde,
usque memor cordis posset ut esse tui,

et caret invidia pietas quod suadet : amoris
ambivisse fuit, sed caruisse dolor ;
verum habeant alii, cor cetera membra sequatur,
ne pia dividua membra tegantur humo,
tu cape cor nostrum, Princeps, hoc conde sepulcro,
ut sit ibi nostrum cor, ubi noster amor.

ACADEMIA PADERBORN.
MAGNIFICENTISSIMO ET CLEMENTISSIMO SUI AUCTORI AC MAECENATI.
EX POPULO, OLEA ET MYRTO SEPULCRUM PYTHAGORICUM.

C2_22 Populus invicti fuit olim roboris index,
almae hieroglyphicum Pacis oliva fuit.
Panthoidae aeternum myrtus signavit amorem,
unde tria inferias manibus ista dabat.
Quid tibi Athenaeum sacret, Illustrissime Princeps,
officii statuat quae monimenta pii ?
Quam fundata tibi Sapientia dedicet urnam ?
Quae ponat meritis Mnemosyna aequa tuis ?
More tibi Samio ternas Academia frondes
adstituit, mentis symbola grata suae :
populus Herculei cingat te roboris index,
est illa invicto digna corona viro.
Te neque Lernaeo perterruit excetra rictu,
nec septemcipiti vertice vicit Hydra ;
improba Saxonico proruperat illa Cucullo,
nixa minace tuum dente ferire gregem,
jamque vomens ignes, jam sibila colla retorquens,
ibat ovans Princeps implicitura caput.
Cum tu obluctantem frustra complexus hyaenam
forti elisisti guttura panda manu.
Phineas etiam monstra infestantia mensas,
(qualia inesa fame terra Batava fovet) ;
Zetus abegisti, et Stymphalia monstra trucidans
eripuisti avidae semivorata gulae.
Ambiat ergo tuam fortissima populus urnam,
evireat Manes populus ante tuos.
Pone illam adserimus ramum pacalis olivae,
nam dum vitam ageres frons ea grata tibi,
commissos alta cives in pace regebas,
cum toga visa tibi est gratior esse sago.
Servasti aeterno semel ictam foedere pacem,
quam neque lis, neque vis, nec mala solvit Eris.
Saepe intemptatum repulisti Pallade Martem,
ut regeres hostes Marte, sed arte tuos.
Cum sedanda tibi belli civilis Enyo
justaque plebeius posceret arma furor.
Vis illata ensem strinxit, Moderatio rexit ;
posse sed eductum condere, Pacis erat.
Haec tibi palma duplex, uno haec ex stipite nata est
arbor, in hac una est junctus Apollo Jovi,
et quod servaris cives, et viceris hostes,
Praesulis illud erat, Principis istud opus.
Floreat ergo tuo pacalis oliva sepulcro,
ad cineres vireat pinguis oliva tuos.
Restat adhuc myrtus, veri nota myrtus amoris ;
supremus de Te jure triumphat Amor.

Ille calens duplici moribundo in Principe flamma
ferbuit, ille hominis, Numinis ille fuit.
Vos ego, quos duris urgens in rebus egestas,
quos vago Anancitis pressit iniqua lare :
vos ego inexhausti testes affabor amoris,
dicite, (scitis enim) Principis ecquis amor ?
Quo me Myrte rapis, Caelo gratissima Myrte ?
Arbor Erotis eras, Principis arbor eris.
In nos illa tuum, nostrum in te illa excit amorem,
una illa aeternum subdit utrosque jugo.
Floreat ergo tuae myrtus pulcherrima tumbae,
ad tumulum vireat myrtus amica tuum.

VETUS CAMENA,
QUA ILLUSTRISSIMO PRINCIPI THEODORO
PRIMAM OLIM PADIBORNAE MITRAM GRATULATUS,
NUNC EAMDEM LIBENTEM VOLENTEM ITERATO PLECTRO SALUTAT VETERANUS IDEM
MUSARUM SACERDOS,
R.P.MARTINUS BECANUS E SOC. JESU,
TEMPORE ELECTI PRINCIPIS PROFESSOR PADERBORNAE.

C2_23
Ecce tibi, Princeps, toties e deside prelo
Musa verecundum jussa subire diem.
Triginta pluteo latuit prope clausa Decembres,
ex quo prima tuo luserat illa Pedo.
Nunc paene exanimem revocas in luminis auras ?
Quis Maecenatem te Maro non redamet ?
Si desit plausus, sat erit tibi carmine nondum,
quo juveni placuit, displicuisse seni.
Sed tersae fors est aliquanto antiquius auri :
quid mirum ? Veterum tangit harundo chelyn.

DEO, PRINCIPI, PATRIAE. AN. M. D. LXXXV.

C2_24
Incluta cum sacro gaude Padiborna Senatu,
et praesens toto laeta sit orbe dies,
nobilis antiqua serie Theodorus avorum
praesulis officium Pontificale tenet.
Cernitis armorum charta spectabilis ista
quae novitas, sceptri quae sit imago novi ?
Mitra decens habitum fibris distincta duabus
quid, nisi quod cleri sit caput ille, docet.
Jungitur effigies rubrae crucis. Ecquid in illa
praeses odoriferi signa cruoris habet ?
Scilicet ut vigili Pastor tuearis amore,
quas Christus lacera carne redemit oves.
Si lupus accedat praedae praesentis avarus,
Ecce Pedum manibus pontificale tenes.
Percute, quid metuis ? Trabibus suffulta duabus
vis tua : quid trabibus firmius esse potest ?
In trabibus Christus saevo tulit hoste triumphum,
junge trabes (Christi crux erit illa) duas.
Quid tibi, Maecenas, de talibus eloquar armis,
unde novos titulos, nomen et illud habes ?
Singula qui latum partitur regna per orbem,
ille tibi partem Praesul in orbe dedit.

Roma subest Sixto quinto ; de montibus altis
legitimum Dominum te Padiborna vocat.
Qui fueras igitur, jam non eris amplius idem,
mortales animos excute, numen habes.
Ac velut in celsa Deus omnia sede gubernat,
sic tuus in celsa sit quoque sede thronus.
Altius a populo superis speculatus in astris
ut videas oculis subdita, fige pedem.
Aut juga praecipitis scandas sublimia montis,
conveniens recte sic tibi nomen erit.
Sic poteris merito Princeps a Monte vocari,
nobile Furstenberg qui modo nomen habes.
Omnia per montem fieri jam posse videntur,
quae nostris oculis utiliora forent.
An non Pontificem, qui nunc est Sixtus, ab alto
monte etiam nomen constat habere suum ?
Sunt tibi cum Sixto communia nomen et omen,
montis uterque sacri pastor uterque sacer.
Adde quod electi quoque tempore sitis eodem,
vix absunt menses inter utrumque duo.
Te Padiborna vocat, Sixtum sibi Roma petivit :
ecce quod augurium Praesul id esse putas ?
Quae novitas istaec ? Si facti causa petatur,
conjunctis animis vos Deus esse cupit.
Junctaque pro populi committere bella salute,
et pro Romana relligione mori.
Vivite felices, et ab alto monte vocati,
jam sacri memores nominis este, precor.

AD INSIGNIA EIUSDEM REVERENDISSIMI ET ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS.

C2_25
Crux rubra cur rubeis trabibus conjuncta duabus ?
An quia crux duplici conficienda trabe ?
Vel quia crux, roseo quam sanguine tinxit Iesus,
sanguineis trabibus restituenda fuit !
Sanguineam, Theodore, crucem tibi donat Iesus,
ut trabe sanguinea fulta sit ipsa tua :
hostis ut, in Christi dirus qui saevit ovile,
hac cruce conspecta te duce linquat oves.

********************